VITA
VINCENTII LAVREI
S. R. E. CARDINALIS
MONTIS REGALIS.

RVGGERIO TRITONIO
PINAROLI ABBATE AVCTORE.

AD
ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.
ALEXANDRVM PERETTVM
CARD. MONTALTVM.



BONONIAE
Apud Hæredes Ioannis Rossij. CIↃ IↃ IC.
Superiorum permissu.

AD
RVGGERIVM TRITONIVM
ABBATEM
IVLIVS SIGNIVS.

MVRICE quam celebris Romano Laureus heros,
Virtute omnigena, gentis honore micet,
Exprimere eualuit dignè Tritonius, illi
Intimus, & pollens candidiore stylo.

ROBER

ROBERTVS TITIVS BVRGENSIS LECTORI STVDIOSO.

QVOD olim quendam Græciæ prænobilem
Virum fecisse penicillo dictitant,
Vt ingens artis ederet specimen suæ,
Certamq; normam posteris relinqueret,
Qua quisq; ductus haud errante dextera
Humanam posset affabrè depingere
Figuram, & cunctis absolutam partibus,
Breui libello præstat nunc Tritonius
Cum cura veros optimi mores viri
Ad viuum effingens per bonis coloribus;
Necnon solerti semper deducens manu
Oris filum, & membrorum, sicut ars iubet,
Ac ratio à priscis illis nobis tradita,
Quos nos habere auctores in primis decet,
Quosq; æmulandos duxit hic noster sibi;
Ergò Vincenti vitam expressit Laurei,
Expressit vitam Laurei Tritonius;
Vnde vnusquisq; sumat exemplum suæ,
Certasq; leges ex illius moribus,
Totoq; vitæ cursu deniq; hauriat
Rectè adviuendum, & vt verè nos addecet.
Hoc, certam quisquis ingredi viam cupis
Non turpis oci; seu mauis negocij,
Volumen paruæ molis, verùm vberrimæ
Frugis, non illibenter sumito tibi.
Mores formabis, atque informabis stylum.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.
ALEXANDRO PERETTO
CARD. MONTALTO.

IVRE omnes Te suspiciunt, Tuaq; inclyta facta
In cælum summis laudibus usq; vehunt.
Ast ego correptus dudum splendore Tuarum
Virtutum in primis me Tibi dedo volens.
Et quoniam penitus nihil est, de paupere censu
Quod Tibi sepositum tradere nunc valeam;
Hinc, atq; hinc aliquid cogor decerpere tandem,
Vnde meum possis cernere mente animum.
Nec tamen hic quisquam insimulet me crimine furti,
Seq; putet nomen lædere posse meum.
Namq; Tui studioso homine, atq; apprime benigno
Hæc Tibi dona libens non renuente fero.
Quòd mihi si faueas, si me respexeris vnquam,
Ipse meo nil non cudere Marte queam.

ROB. TIT.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO ALEXANDRO PERETTO CARDINALI MONTALTO

Bonon. Legato, &c.

ROBERTVS TITIVS S. P. D.

CVM pluribus me Tibi nominibus obstrictum esse intelligam (Cardinalis Amplissime) nec, vnde tam grande æs alienum dissoluam, in præsenti habeam, cogor ab amicis vtcunq; versuram facere, non quidem quia velim, expunctis quasi rationibus nil amplius præterea Tibi debere; perinde ac Tecum paria fecerim, nam Tua erga me beneficia semper in animo meo ita hærebunt, vt nulla inde longinquitas temporis ea sit deletura; sed vt grati animi specimen aliquod interim Tibi præbeã. Et verò Tui ordinis Viri hac dumtaxat optimæ voluntatis testificatione cumulatissimè sibi satisfieri putant, nec aliud præterea à clientibus, obæratisq; suis quærere solent; quamquam ita Tu beneficia tribuere semper consueuisti, vt nihil aliud ea in re spectes, quàm ipsius accipientis cõmodum, & vt beneficentissimæ naturæ Tuæ obsequaris: Verùtamen videbor mihi, nescio quo pacto, securius post-

hac Tibi debere, si leui hoc munusculo meæ aduersus Te voluntatis nonnullā significationem præbuero. Ruggerius Tritonius Tuus intimus à secretis, Vir ideò Tibi tantoperè carus, quia maximè probus, atq; ingenuis artibus mirificè instructus, copiam mihi fecit cuiusdam suæ scriptionis, qua Vincentij Laurei Cardinalis vitam puro, atq; eleganti dicendi genere complexus fuit; ea mihi digna protinus visa est, quæ vel ipso inscio publici iuris efficeretur, idq; multis de caussis, in primis verò, quoniam excellentis illius Viri actiones huiusmodi proculdubio fuisse constat, vt omnibus ad imitandum proponi iure mereantur, adeò is toto vitæ suæ decursu in omni virtutum genere assiduè, ac non segniter se exercuit; cuius rei præter multa argumenta, quæ afferri possunt, atq; hoc scripto comprehenduntur, illud certissimum esse fatentur omnes, quod Gregorius XIII. Pont. Max. eundem nullius Viri principis hortatu permotus, aut aliquo proprio commodo persuasus, verum ipsius dumtaxat meritò impulsus, in Cardinalium ordinem cooptauit: Præterea plurimùm conducere ad eloquentiam arbitror, si quis Christianæ Religionis cæremonias, ritus, atq; alia multa nostris moribus consentanea, veteribus illis minimè cognita Latinis verbis propriè, atq; eleganter exprimi videat, quæ quis non facilè ex Cicerone sua sponte hauriat; porrò Tritonius eo sermonis genere vtitur, vt omnes eundem imitari, quantum in se est, eniti debeant; Equidem magnum quippiam me præstitisse arbitrarer, si ad eius me exemplum cōponere possem;

conor

conor quidem certè, sed nondum me id assequutum esse planè intelligo, assequentur fortaße alij, quorum maior impetus ad hæc studia percipiẽda ingenium ipsum acuit, promouet industriam. Multa video paßim æneis typis in vulgus edi, quæ non modo nullam vtilitatem legenti pariunt, aut ad vitam optima ratione dirigendam, ac, veluti Christianum hominẽ decet, transigendam nihil conducunt, sed plurimum etiam persæpe obsunt; hæc, vnde fructus ingens percipi posset, summa negligentia prætermitti animaduerti. Viderer igitur mihi in publica commoda non leuiter peccare, si, cùm possem nostris hominibus normam quasi quandam benè, beateq́ viuendi exemplo Vincentij Laurei proponere, id ego vel quadam propemodum inuidentia, aut animi socordia, & languore facere differrẽ; At Tu (Cardinalis Amplißime) non exiguũ ex hac scriptione fructum haurire poteris, qui ad maxima pro Christiana Republ. negocia peragenda natus videris; hinc enim plura iustitiæ, æquitatis, fidei, constantiæ, prudentiæ, religionis, industriæ, temperantiæ, liberalitatis exempla petere licet, quorum etsi Tu non admodum indiges, ita à natura effictus, ac deinde à magno Tuo illo auunculo Viro in omni virtutum genere eminentißimo institutus fuisti, ea tamen aliquando repetere, & in Vincentio Laureo, quasi in te ipso interdũ agnoscere, non fuerit inutile. Neq; verò quicquam dubito, quin hoc meum consilium ab huius operis auctore in optimam partem arripiatur, noui.n. quàm is virtuti semper fauere consueue-

sueue-

fueuerit, atq; omnium vtilitati, quacunq; tandem ratione id consequi potest, consulere in animum induxerit: Te verò in primis ita amat, & colit, vt, quod vel tenui modò commodi Tui nonnullam imaginem præseferat, libenter & ipse efficere soleat, atq; ab alijs præstari vehementer cupiat: Rectè igitur fecisse videri potero, qui hominis officiosissimi, Tui, si quisquam alius, studiosissimi, ac mihi, quod inter ea, quæ carissima habeo, numerare soleo, amicissimi, labores nunc publicaui; spero autem fore, vt tempore procedente, non nihil à me ipso in Tuum sinum afferre possim in eo genere scriptionum, quod ab ingenij mei tenuitate expectare licet. Interim Te obtestor, atq; obsecro, vt in alieno opere meam erga Amplitudinem tuam propensionem, & obseruantiam libenter amplecti velis. Vale.

Bononiæ Sexto. Idus Aprilis CIϽ IϽ I C.

VITA

VITA VINCENTII LAVREI
S. R. E. CARDINALIS
MONTIS REGALIS
RVGGERIO TRITONIO
PINAROLI ABBATE AVCTORE.

QVam pręclaris, præstantibusq; virtutibus VINCENTIVS LAVREVS Cardinalis instructus, atq; ornatus fuerit, nemo est, qui ignoret; vt potè quibus in Vrbe, totius orbis theatro, in qua, quanti quisque sit, in primis æstimari, ponderariq; solet, non mediocrem, immo maximam honoris mercedem, ac præmiũ delatum fuisse comperimus. Atqui ego, vt eas pręter cęteros cognitas, atq; p̄spectas habui, ita nullo vnquam tempore contemplari, & admirari desistam. Vtinam autem & æmulari aliquando liceat. Vnum, quod in me erit, procul dubio præ-

ſtabo, nimirum vt, quandoquidem iuſtis officijs, ac debita erga patronum, vel potius parentem optimum pietate mihimet ipſi ſatisfacere nequeo, ſaltẽ immẽſas eius virtutes perpetuò venerer, grataq; ſemper memoria proſequar. Apud illum .n. ab ineunte ætate educatus, non familiaris, ſed filij loco potius habitus, inſigniq; ſacerdotio auctus, tot grauium negotiorum, quæ pro Chriſtiana Republica ſuſcepit, adminiſtrauit, atq; confecit, conſiliorum demum, ac cogitationum ſuarum omnium particeps factus ſum; quæ planè dies; noctesq; mecũ reuoluens, vix credibile eſt, quam viuã identidem eius imaginẽ mihi ante oculos obuerſari ſentiam; præcipuè verò ſe ſe mihi figura, formaq; mentis illius offert, quã, dum inter nos degeret, adeò purã, integram, inuiolatamq; gerere viſus eſt, vt nec vllis ſecundis rebus efferri, nec aduerſis commoueri potuerit, quo minus eam aſsiduè ad ſummum, diuinum, æternumq; numen intenderet. Cęterum cùm vitã illius tàm probè actam, quæ alijs futura ſit exemplo, literis prodere inſtituerim, nimis imprudens ſim, ſi hanc à me ſcripto ornatum iri putarim, cuius effigiem in bonorũ omnium animis ipſemet Cardinalis clariſſimo animi, ingenij, conſilijq; ſui lumine expreſſam, atq; politam reliquit. Tantùm igitur agam, vt ipſius ſapienter geſta, & dicta, quibus ego interfui, vel quæ ab illo excepi, ſecundum fidem, & religionem eo conſi-

 lio

lio faciam palam, vt, à quo viuo vitam meam egregiè institutam fuisse agnosco, eundem quoq; vitę functum morum, sensuum, ac studiorum meorum omnium magis, magisq; in dies habeam præmonstratorem.

VINCENTIVS in vrbe Tropæa, quæ inter celebriores Calabriæ numeratur, ortus patrem habuit Antonellum Laureum Iacobi filium, qui à Rogerio Laureo olim Petri Regis Aragonum classi præfecto originem duxerat; virum frugi, atq; industrium: matrem Raimundam è nobili Milliarisiorum gente, probatissimam castitate, ac prudentia fœminam: fratres duos; quorum alter maior natu Marcus nomine, è Diui Dominici instituto vitam professus magnam diuinarum rerum doctrinam percepit, ac mox Campaniensi, Latriensiq; Ecclesijs non mediocri cum laude præfuit; alter natu minimus Leonardus, & ipse apprimè eruditus Sacerdotium Murri vallium in Piceno est assecutus, ibiq; rerum omnium, quæ ad regimen illud attinere viderentur, debita cum diligẽtia curam sustinuit; sorores tres; quarum prima Beatrix per totã vitam innupta permansit, ac tot præclaris animi dotibus ornata fuit, vt non immeritò Dianoræ Condobettæ Ferdinandi Carafæ Nuceriæ, quam Paganorum vocant, Ducis vxori, quæ cum vixit, gratissima semper extiterit: secunda Catherina Tropeę nobili cuidam è Vulcu-

fenijs nupſit; tertia Dorothea, præclarum omnino ſanctitatis ſpecimen, cum ſibi Christum Saluatorẽ eligendum ſponſum duxiſſet, Neapoli ſacrarum illarum Virginũ cœtum ingreſſa eſt, quæ ſeueriores à Diuo Franciſco preſcriptas leges ſectantes, perpetuis vigilijs, ac jejunijs deditę, veſtitu aſpero inductæ, nudisq; pedibus incedentes, vulgò Capuccinæ appellantur.

Vincentivs adhuc paruulus, Beatricis opera, Filogaſum ad ampliſſimas, ſplẽdidiſſimasq; Ferdinandi Ducis ędes adducitur, vt illic vnà cum Alphonſo Ducis filio, ejuſdemq; ætatis puero educaretur. A Duce ſtatim, tanquàm alter filius, recipitur, atq; eidem præceptori, cui prius Princeps filius commendatus fuerat, inſtituendus traditur; pręceptor autem erat Ioannes Padilia natione Hiſpanus, tùm genere, tùm in primis morum elegantia, & candore nobilis. Is adeò grauiter de pueris curam geſſit, vt breui tempore teneros vtriuſq; animos, & humanitatis, & (quod caput erat) pietatis ſtudio imbuerit; pręter cęteras quidem ingenuas exercitationum, quaſi leges, quotidie ab ijs poſt mandatas memoriæ lectiones ſtatis horis ſacras precationes decantandas indixerat; quem ritum poſtea Vincẽtius tam religioſe obſeruandũ ſibi putauit, vt illum nunquam, licet nondum ſacris initiatus, pręterimiſiſſe mihi ſæpius affirmauerit. Iam verò Filogaſi tantope-

topere in literarum studijs versatus est, vt breui nō solum Latinam, verum etiam Grecam linguam optime perdisceret; vtraq; facilè, eleganterq́; scriberet; de re quaque proposita orationem ornatam haberet; ac politiora etiam carmina conderet. Mirum, quòd vel tenera illa ętate incredibilem quādam prę se ferret grauitatem: qua motus Ferdinandus Dux, si quid sibi ad aliquē secretius perscribēdum esset, ipsum vnum eligeret Vincentium, cuius fidei, atque taciturnitati omnia crederet.

Quo autem commodius Dialecticæ, ac reliquis grauioribus disciplinis incumbere posset, se se in aliquam celebrem Academiam conferendi potestatem à Ferdinando impetrauit. Primùm itaq; Neapolim, mox Patauium contendit. sed cum Romam ex itinere venisset; accidit, vt cum in Vrbe de Diui Petri Cathedra festus, solennisq́; celebraretur dies, ab exquilijs nō procul à Pontificijs Diui Marci ędibus ferox, acerq́; taurus irruens ipsum mediū cornibus arripuerit, sublatumq́; non modò nullo incommodo affecerit, sed & leuiter solo repositum quodā modo visus fuerit reuereri; quod fortassis quasi diuinatione quadam ipsummet aliquando inter primores Ecclesiæ proceres extollendum fore, pręsignificarat.

Patauij, quàm excellenti, singulariq; ingenio prędictus esset, amplissimè demonstrauit. nam non mo-

dò

dò Philoſophiæ, & Medicinæ, verùm ſacræ Theologiæ ſcientiam incredibili propemodum celeritate eſt aſſecutus, atq; in ſuccum, & ſanguinem ſuum conuertit: in his omninò cognoſcendis, atque tractandis tantum ſtudij poſuit, vt in qua nam doctior euaſerit, vix potuerit dijudicari. de eximia certè Vincentij in Theologicis doctrina olim Pius Quintus Pontifex Maximus grauiſſimum iudicium fecit, quippe qui illum Diui Thomæ Aquinatis volumina non ſolũ diligenter euoluiſſe, ſed memoriæ quoque comprehendiſſe dicere ſolitus erat.

Poſtquã in celeberrimo Patauino Gymnaſio de more omnium applauſu lauream (cui tamen repeniſſe potius, quàm ab illa decorem accepiſſe quodãmodo videbatur) adeptus eſt, eo conſilio Romam venit, vt alicuius principis viri familiaritatem iniret; apud quem præſtantis animi ſui bona exercere valeret; neq; enim ignorabat, Romæ potiſsimum, tanquam in vniuerſi orbis paleſtra, curſum non aliter, quàm doctrina, induſtria, pietate, cæteriſq; virtutibus ad veri honoris metam tenendum eſſe. Ergò, vt ſors tulit, vel primo in Vrbẽ ingreſſu à Petro Paulo Pariſio Cardinale Coſentino in familiarium ſuorum numerum eſt receptus; è quibus tamen inter cęteros inſignes viros Vgo Boncõpagnus erat, qui poſtmodùm ad ſummi Pontificatús faſtigiũ electus, & Gregorius XIII. nuncupatus, primum illum

Gre-

Gregorium Magnum sanctitate prudentia, vigilantiá, munificentiaq; re vera visus est æmulari.

Cum verò intra paucos dies Parisius vitam cum morte commutasset, Vincetium illicò, quem & alij summoperè expetebant, Cardinalis Gaddius senior sibi familiarem asciuit, omniq; grati animi officio est prosecutus. imò tanti illum facere visus est, vt quodam die sacrum suum pileum capiti eius imposuerit, atq; dixerit: accipe, Vincenti, omen. neque enim est dubitandum, quò minus hoc insigne tibi aliquando debeatur. sed cum Gaddius è viuis decessisset, multiq; certatim patrocinium Vincentio vltrò deferrent, peruicit Franciscus Cardinalis Turnonius Gallus, vir tùm antiqua generis nobilitate, tùm proprijs virtutibus maximè clarus. Hic Vincentium non vt familiarem, sed tanquam alterum fratrem fouendum, atq; ornandum suscepit. quod cùm multis sanè indicijs, tùm quasi certissimo quodam argumento ostendit, vbi, vt illum cohonestaret, atq; augeret, duobus Sacerdotijs, licet amplioris emolumenti, vulgò Prioratus appellant, quæ in Aruernis diu possederat, semetipsum spoliandũ existimauit. Vtrunq; tamen Vincetius aliquot post annos, dum in Polonia Nuntium Apostolicũ ageret, quamuis ob ingentes impensas factas nonnullo ære alieno obstrictus, Collegio Societatis Iesu Lugduni paulò ante constituto, vel me negotium in Vr

be pro-

be procurante, ea lege à Gregorio XIII. perpetuò aſcribendũ curauit, vt duo ſaltem ex patribus in Sacerdotiorum locis degentes ſacris, catholicisq; concionibus populorum illorum ſaluti conſulere niterentur.

Quoniã verò in Cardinalis Turnonij mẽtionẽ incidimus, nõ ab re forſitan fuerit, ſi quid de tẽporũ illorũ, quibus is vixit, in Gallijs conditione breuiter perſtrinxerimus. Dudum Henricus Rex huius nominis Secundus deteſtabilem, nefariamq; hæreſis peſtem, plures regni ſui oras perſuaſiſſe animaduerterat; ac, quò imminentibus malis, atq; incommodis medicamẽta neceſſaria adhiberet, nihil ſibi antiquius duxerat, quàm vt cum Philippo Hiſpaniarum potentiſſimo Rege, quo cum diuturnum, acerrimumq; bellum geſſerat, primo quoq; tempore pacem iniret. Sibi.n.perſuaſerat, ſedatis externis bellis, haud difficulter poſtmodum inteſtinis morbis mederi poſſe. Vt autem huiuſmodi pacem ſtabili, certoq; affinitatis vinculo confirmaret, Philippo Regi Eliſabettam filiam, & Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci Margaretam ſororem deſpondit; omnibus ferè, quæ prius bello occupauerat, reſtitutis. Sed ecce humani generis hoſtis nouam perturbandi Galliæ Regni anſam actutum præbet, ſiue etiam Deus immortalis quàm fluxæ, incertæ, & inſtabiles ſint res mortalium, diuinoq; potius, quàm huma-

humano consilio regna, atq; imperia gubernari, regi, & conseruari nobis hoc etiam exemplo voluerit innotescere. Henricus igitur Parisijs filiæ, sororisq; nuptias regia, vt par erat, pompa, magnificentissimoq; apparatu celebraturus, præter innumerabilia alia sumptuosa spectacula, singulare quoq; per ludum equestre certamen edidit; in quo ipse, vt magni atque excelsi animi erat, duobus adhibitis commilitonibus Frãcisco Lotaringio Guisię Principe, & Alphonso Ferrariæ Duce, summam pugnę tribus continuis diebus aduersus quoscumq; fortiter sustinendam suscepit. Iamq; primi diei dimicatio magna cum lætitia, omniumq; in fortissimum Regem applausu processerat. verùm dies sequens admodum infaustus fuit, & infelix. Assiduis planè tunc precibus, ac non sinè lacrymis Catherina Regina vxor, quasi imminens periculum præsagiret, ab Henrico maiorem in modum contenderat, vt eo die vellet à certamine abstinere. neq; enim in rem esse, aiebat, vt summus Princeps, qui pridie tàm feliciter omnium victor euasisset, sese rursus periculo commiteret. quin aliquem ex iunioribus Principibus in locum suum sufficeret. Demum Rex adduci non potuit, quo minus Lorgeum Mongomeri Comitem, quem armis exercitatissimum nouerat, non solum iterum atq; iterum per nuntios inuitaret, verum etiam iteratis iussibus cogeret, vt cum

 eo ha-

eo hasta, equoq; congrederetur, atq; ita periculum faceret, quisnam esset armis præstantior. quinimò hastam iam iam sumpturus fertur prius honorarium quoddam munus Mommoranceo Mareſcial lo dediſſe: iſtud fer, dicens, vxori adamatæ, &, vt bono animo ſit, meo nomine iube. quò enim ei morem geram, hac vna tantum vice honoris ſui gratia duxi in præſentia congrediendum. Poſtquã ergò re nouata pugnã tubis clangentibus ventum fuit ad certamen, maxima procerum caterua circumſpectante, & exitum opperiente, iamq; infeſtis haſtis ſummis vtrinq; viribus eſt concurſum, contigit, vt Lorgei haſta, ſolido Regis thoraci effracta, in fragmina euolaret: è quibus vnum inſtar præacuti ſpiculi per anteriorem galeæ partem, indeq; Henrici oculum, cerebriq; compages penetrauit. Rex igitur, grauiſſimo accepto vulnere, nutare, vires præ dolore amittere, iam iam ab equo lapſurus, niſi qui illic aderãt aſtãtes Principes ei preſto fuiſſet, ipsũq; in ædes proximas ſuſtuliſſent: vbi intra paucos dies mortem obiuit, tantaq; in mæſtitia bonos omnes, atq; in primis Cardinalem Turnonium reliquit, quantam quis oratione, vel cogitatione etiam complecti nequeat.

Extincto Henrico in Regnum ſucceſſit Franciſcus filius natu maior, cui prius Maria Stuarda Scotiæ Regina fuerat deſponſata. is, licet admodum iu

uenis

uenis, ad id tamen animum viriliter intendit, vt ex præscripto patris hęreticos insectaretur. pro recta autem regiorum munerũ curatione Principes Guisios, vt potè acerrimos sacrosanctæ Religionis Catholicæ propugnatòres, ac pręsertim Carolũ Cardinalem Lotharingiæ ipsius Reginę sponsę auunculum, intimos sibi consultores elegit; palàm omninò hæreticis bellum intulit; Aloysiumq; Borbonium Condæi Principem qui inter alios, factionis caput, illorum partes tuebatur, in carcerem Aureliæ coniecit, vt vltimo supplicio afficeret. Sed vix in Regni curriculo versari cœperat, cum subito morbo correptus in ipso florentis ætatis limine vitam amisit.

Nulla à Francisco relicta prole, Regno potitus est Carolus frater, nonus eius nominis Rex. Tùm primò Catherina Regina mater ob teneram Regis ætatem omnia regere, administrare, & moderari. Condæus non solum è vinculis exemptus, sed & in aulam accitus. Hæretici longè maiora, & perniciosiora, quàm antea, pertexere, atq; etiam pertentare. Catherina à nonnullis Dominationis nimium appetens haberi: quippe quæ tantisper potentiam sibi duraturam existimaret, dum modò his, modò illis partibus fauere videretur. contra verò aliorum iudicio commendari, quòd cautis potius, quàm acrioribus consilijs Regi filio Re-

 gnum

gnum duceret conseruandum. Vt vt fuerit, non defuerunt, qui ob hæreticorum in aula frequentiam tàm Regis, tàm fratrum puerorum animos prauæ hæresis labe infectum iri etiàm atque etiam dubitarent. Præter cæteros Cardinalis Turnonius Principes Guisij, & Iacobus Albonius Sancti Andreæ Marescia llus tàm grauiter exarserunt, vt pro Religione Catholica reparanda, tuendaq; de Hispaniarum Rege in Gallias accersendo cogitauerint.quin iã Vincétij nostri opera Iacobo Laynesio ab Ignatio illo, qui tàm accuratè, piè, sanctèq; Sodalitatem Iesu instituit, atq; fundauit; primo Præposito Generali, natione Hispano viro æquè prudentia, ac pietate insigni, vt eorum nomine ad Philippum Regem legaretur, hortatores, suasoresq; fuerant. Nequaquàm tamen successit: quia Perenottus Cardinalis Granuelani germanus frater tunc in Gallia Philippi Regis Orator constantissimè asseuerauit, Regem suum sermonibus de Galliarũ Regno capessendo aures nullo modo daturum: qui tamen pro Religionis Catholicæ defensione, pro qua vel vitam ipsam profundere semper paratus fuerat, peditũ, equitumq; auxilia, vbicunq; fuisset opus, suppeditare minimè recusaret.

Interim Antonius Vandomus Rex Nauarræ, in aula auctoritatem comparare; se in summorum negotiorum administrationem insinuare; declaratus, qui

tus, qui in ijs, quæ ad bellicas expeditiones attinerent, Regis vices gereret; incertum, an sponte Catherina Regina illum in Dominationis subsidiũ; vel inuitè, vt Regij sanguinis Principibus faceret satis, consortem imperij adhibuerit. Difficillimè certè eodem loci potentiam, & concordiam esse, euentus demonstrauit: namquamuis primò Catherinæ Reginæ Antonij consilijs æqua, aut saltem non aduersa videretur, vtrinq; tamen simultates paulatim pullulare; deinde palam erumpere cœperunt. Occasione huiusmodi arrepta Catholici proceres Antonium adire; in partes suas allicere; maiorem in modum ab eo contendere; vt, si collocatas iam dominandi spes suas in arduo sustentare vellet, Catholicos sibi clientes asciseret, ac, quod magnopere expediebat, Annam Mommorantium Equitum Regni magistrum (conestabilem Galli nominant) nec non Guisiæ Ducem in amicitiam reciperet, omniumq; consiliorum suorum participes, administrosq; haberet. Antonius igitur Mommorantium, nec non Guisium in aulá euocatos sibi statim adiũgit, atq; eorum firmioribus præsidijs nixus sese Religionis Catholicæ patronum, propugnatorémq; profitetur. Iam verò varijs in locis aduersus hæreticos horum trium auspicijs exercitus conscribebatur, quando ecce Cardinalis Turnonius confectus senio, ac mœrore, in quo post excitatos Religionis

causa tumultus iacuerat, diem extremum morte cō-fecit: sicq; vir eximius alieno Reipublicæ Christianæ tempore extinctus auctoritatis, pietatis, & prudentię suę triste catholicis omnibus desiderium reliquit.

Vincentius, tanto orbatus patrono, nihil magis optabat, quàm vt primo quoq; tempore in Italiam rediret, sibiq;, ac suis studijs viuere posset. Sed illustres virtutes suæ illum ad alios longè maiores pro Dei Ecclesia perferendos labores trahebant. nā continuò eum Hippolytus Estensis Ferrariæ Cardinalis, qui paulò ante à Pio Quarto Pontifice Maximo Legatus in Galliam missus fuerat, Catherina Regina, Antonius Nauarræ Rex, Carolus Cardinalis Lotaringię, & Mommorātius Magister Equitum, sibi quisq; vehementer, ingentiq; contentione expetiuere. libenter ipse adhæsisset Hippolyto Cardinali, quo cum in Italiam reuerteretur. At illum Dux Guisiæ, vnaq; Sancti Andreę Marescial lus maiorem in modum hortari, enixeq; rogare, vt apud vnum Regem Nauarræ esset, quem pro Religionis Catholicæ defensione firmandum curaret. nec illum modò per se suadere conati sunt, verum etiam insuper auctores, hortatoresq; grauissimos adhibuerunt, Lainesium Sodalitatis Iesu Præpositum, ac Ioannem Polancum, & ipsum eiusdem Sodalitatis natione Hispanum, qui sacras Vincen-

tij con-

tij confessiones excipere solitus erat. Ij nullis prætermissis, quæ ad suadendum, rogandumue sufficerent, etiam conscientiæ scrupulum iniecerunt. plurimum enim ad Deum, Deiq; causam pertinere aiebant, vt Regi Nauarræ, qui à nullo alio facilius contineri in officio potuisset, haud quaquam assidere defugeret. Quoniam, inquit Vincentius, in hoc consilio Dei agitur res, vos Deo Sacrum facite, vt, quod magis in rem suam erit, intelligamus, matureq; postea faciamus. Postridie Patres iterum Vincentium conueniunt. rem diuinam fecisse, certoq; se scire affirmant, Deo quàm acceptissimum fore, vt Regi Nauarræ assistat, solitamq; suam pro Religionis Catholicæ tuitione, atq; propagatione optimā operā nauet. His igitur, cōtra quæ dicere ne fas videbatur, adductus Vincentius obsistere non potuit, quin publicum bonum proprijs commodis, & rationibus præferens, se ad Regis Nauarræ familiaritatem applicaret. Postridie eius diei, quo Regem adiuit, contigit, vt Rex, acceptis à quodam administro litteris, exarderet iracundia vehementi. querimoniæ titulum in medium proferebat, sibi partim à Pio Quarto Pontifice Maximo, partim à Philippo Hispaniarum Rege Catholico verba dari. Exaggerabat, Pontificē nequaquā, sicuti par erat, rebus suis fauere, atq; à Rege Catholico de Regni Nauarræ compensatione negotium protrahi. Atqui,

qui, non dubito, ait Vincentius, quin pro singulari animi tui prudentia facile noscas, duo tibi, Rex, nuper ad Galliarum gubernationem ascito potissimum necessaria esse, quibus existimationem, & auctoritatem apud summum Pontificem, & Regem Catholicum acquirere possis, nempè vt ad magna te facinora capessenda validum, & in promissis cõstantem re vera ostendas. Princeps enim, qui haud quaquam polleat viribus, magni pendi non potest, & à quo promissa non seruantur, huic fides non est habenda. Dudum planè siue id falsa aliqua persuasione deceptus, siue dominandi gratia admiseris, habitus fuisti, qui Hæreticorum factionem sustineres. Postquàm verò te Religionis Catholicę defensorem, propugnatoremq; declarasti, nõ solum, quos abs te fructus expectabamus, nondum percepimus, sed à Condæo Principe, fratre tuo germano, & à Collignio Amirante, nefarijs Hæreticorum Ducibus, insigniores plures vrbes vidimus occupatas. Hinc ne igitur te Summus Pontifex, Rex Catholicus, Principes reliqui aut posse, aut velle Religioni Catholicæ opitulari existimabunt? sed iam agè, Rex, quod Solenni (vt ita dicam) religione spopondisti, nobis tandem dependere contendas. fac, vt te re ipsa Catholicum, Catholicorumq; in hoc Regno tutorem esse ostendas. Hac, mihi crede, via impetrabis, vt & summus Põtifex, & Rex

Catho-

Catholicus te plurimi faciant, tuisq; rebus optimè consultum velint. Primum hunc Vincentij sermonem Rex Nauarrę adeò in bonam partem accepit, vt illi gratias ageret, affirmaretq;, in eam se posthac omnem rationem incubiturum, vt in posterum non modo Pontifex, & Rex Catholicus, verum etiam reliqui omnes intelligerent, nihil sibi carius esse, quam vt, quę pro Religione Catholica tuenda, sustinendaq; pollicitus esset, vel ipsa sanguinis effusione prȩstaret. Quod autem ad Nauarrȩ compensationem attinebat, mutuis sermonibus sępius fuerat agitatum. egerat quidem Vincentius cum Vandomo, vt non amplius ad Nauarrę, sed ad externum aliquod Regnum adijceret animum. Regi enim Catholico facilè persuaderi posse, vt Tunetanũ Regnum in Africa deferre ipsi aliquando vellet. Interea verò posse quasi pignus Sardiniam concedi, dummodo munitiora loca Hispanorum pręsidijs retinerentur, & paruulus vnicus eius filius obses in Hispaniam mitteretur. Verumenimuerò vt nihil rerum mortalium stabile est, e uistigio violenta Regis Nauarrȩ subsecuta mors irrita omnia consilia fecit. Nondum enim sextus post Cardinalis Turnonij mortem mensis elapsus erat, cum is Rhotomagum, vnam è celebrioribus Galliarum vrbibus pridem ab Hȩreticis occupatam, obsidens, vehementissimeq; oppugnans, dum quanam parte per vim

in vrbem aditus patere posset perlustraret, è mœnibus pila tormento æneo emissa tàm graue vulnus accepit, vt paucis post diebus è medio sublatus fuerit. Vincentius autem illi suasit, & persuasit, vt Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum priusquā moreretur, vt potè certissimum animæ viaticum, sumeret: sicuti re vera ipse, vnaq; Princeps Roccha Surionis eius consanguineus Catholicorum ritu, pieq; admodum sumpserant.

Cæterum Vincentius Nauarræ Regis morte omnes, quas in Gallia concipere potuisset, spes extinctas esse videns, sese Hippolyto Cardinali Ferrariensi addixit: apud quem iam magno in honore, & pretio erat, tribus etiam nummûm aureorū millibus illicò donatus; paucis interpositis diebus, quod summopere optauerat, Romam cum Hippolyto rediit ante Comitiorum celebrationem, quibus post Pii Quarti obitum Pius Quintus magna bonorum omnium voluntate fuit Summus Pontifex renuntiatus. Is confestim Vincentio Montis Regalis Ecclesiam in subalpinis, cui ipsemet diu præfuerat, detulit. Nouerat siquidem prudentissimus Pontifex vix vlli hominum illam suam (vt ita dicam) sponsam melius regendam, ornandamue tradi posse. Ergò Vincentius Montis Regalis Episcopus declaratus non aliò animum adiungere, quàm vt ad gregem sibi commissum alendum, diligenterq;

genterq; fouendum decurreret. Sed illi Pontifex iter aliud multò longius pro vniuersali Ecclesia suscipiendum proposuit.

Res Catholicorũ in Scotia tunc tẽporis maximè laborabant. Cum verò in id Pius Quintus inuigilaret, vt vel remotissimas quasq; regiones ad sincerum Dei cultum adduceret, nihil magis expedire arbitratus est, quàm vt Vincentium ad Mariam Scotorum Reginam legaret. Maria, quemadmodum superius diximus, Francisco Secundo Galliarum Regi nupta fuerat: mox vidua ad paternum Scotiæ Regnum se contulerat: vbi rursus Henrico Stuardo Lennosij Comitis filio nupsit. at, siue ei cũ marito malè conueniret, siue Morauiensis Comitis fratris spurij hæreticorum facilè principis operâ in magnas incidit difficultates; quas in primis Elisabetta Angliæ Regina moliebatur, partim vt Hęreticorum factionem & ipsa hęretica sustineret; partim acerbo in Mariam Reginam odio, vt sunt dominantibus omnibus eorum, qui proximè destinantur, inuisa suspectaq; semper ingenia. Angliçi enim Regni hæreditatem Mariæ deberi constabat; cuius pater Iacobus Quintus matrem habuerat Henrici Octaui Angliç Regis sororem natu maiorem.

Sanè Pius Quintus Vincentio in Scotiam ituro dederat in mandatis, vt Reginæ ob Religionis Ca-

tholicę restitutionem consilio, auctoritateq; præsto esset. quòd si in Scotia res ex sententia succederent, futurum, vt de Angliæ quoq; Regno recuperando aliquando cogitaret. quò magis autem Mariam Reginam ad Religionem Catholicam in pristinum statum vindicandam, ac defendendam accenderet, viginti ei millia aureorum in præsentia decernebat; plura sine dubio, si se se occasio obtulisset, erogaturus. quinetiam ad illam manu propria in hanc sententiam conscriptas litteras dedit. Ex quo, carissima in Christo filia, tumultus à perduellibus tuis, ijsdemq; sinceræ, ac Catholicæ Religionis hostibus excitatos intelleximus, non prætermisimus, quò minus ex animo, sicuti par erat, ad Deum tùm nostris, tùm aliorum Religiosorum hominum precibus confugeremus. libenter tibi omninò vita, ac sanguine proprio suppetias attulissemus. omni quidem animi ardore Principes Catholicos, vt tibi auxilio esse vellent, hortati sumus. Postquàm verò te tàm ingenti periculo diuina ope ereptam fuisse nouimus, vt graui nos ægritudine leuari sensimus, ita, si non quas debebamus, saltē quas pro viribus potuimus, Deo gratias egimus. Nunc, quoniam ob ingrauescentem iam ætatē nostram, ac tot immensas occupationes, quibus hîc pro vniuersa Christiana Republica distinemur, in Scotiam ire non possumus, mittendum duximus Nun-

tium

tium noſtrum Vincentium Montiſregalis Epiſcopum, virum rara ſingulariq; propemodum virtute, bonitate, doctrina, & prudentia prędìtum; qui tibi ſingulis quibuſq; occaſionibus inſeruiat. ipſi igitur æquè, ac nobis fidem in omnibus adhibebis. Quod ad nos attinet, enitemur certè, atq; efficiemus, vt nullum vnquàm paterni affectus, ſtudijq; officium à nobis poſsis deſiderare.

Poſtremò Vincentius omnibus, quę ad munus illud obeundum neceſſaria videbantur, mandatis à Summo Pontifice acceptis, longum iter ſub ipſo feruentis Caniculæ æſtu ingreſſus eſt; ac me, licet admodum tunc adoleſcentem, vixq; vllo adhuc rerum vſu inſtructum, qui ſibi ab epiſtolis eſſem, ſecum adduxit. Cum primum Lutetiam venimus, Archiepiſcopus Glaſquenſis Reginę, cuius Oratorem in Gallia agebat, litteras reddit. Hiſce maiorem in modum optare pręſeferabat Regina, vt quàmprimum Nuntius Apoſtolicus in Scotiam traijceret. neq; enim dubitabat, quin prudentiſsimis eius conſilijs, auctoritateq; nixa tùm Religionem Catholicam protegere, tùm Regni incolumitati, ſecuritatiq; proſpicere, & conſulere aliquando poſſet. efflagitabat tamen, vt tantiſper profectionem ſuam in Scotiam differret, dum alteras ab ea litteras acciperet. nam ſe interim curaturam, vt, quoad fieri poſſet, recentis ſeditionis reliquijs

è medio sublatis, tutior ipsi postmodum, ac debita cum dignitate illuc pateret aditus. Ad hæc respondens Vincentius Reginam efficacibus rationibus hortari, excitare, atq; etiam inflammare, vt pro Religione Catholica in illo Regno restituenda, tuendaq; pristinam animi magnitudinem in Iesu Christo Saluatore conseruaret; vnàq; pro comperto haberet, sibi & çternum Dei numen perpetuò affuturum; & integerrimo Dei ipsius Vicario in primis curæ futurum, vt singulis quibusq; temporibus sanctum, vereq; regium studium suum amplexaretur, summoq; fauore prosequeretur. quò autem re verà Reginæ constitutum auxilium afferret, summam ei quatuor mille aureorum è viginti illis millibus à Summo Pontifice in hanc rem decretis statim soluendam curauit. Cum verò Reginam nonnullis de rebus, quę tutò litteris committi non poterant, admonitam vellet, Edmundum Hayum natione Scotum Sodalitatis Iesu, solertem, perspicacemq; virum in Scotiam misit: qui postea facilè & Reginæ ipsius, & Aulicorum omnium intimos sensus rimari potuit. Compertum quidem est, Reginam; si consilijs, quæ illi à Vincentio prudentiæ, fidelitatisq; plena dabantur, vsa fuisset, tot graues ærumnas, in quas miserè incidit, euitare procul dubio potuisse. nam si, quod ei præter cætera Vincentius persuasum iri volebat, vel vnum Comitem Lediri-

gtonium

gtonium, Regni Secretarium, nequam, perditiſſimumq; hæreticum, atq; in primis Comitis Moraviæ fautorem, qui nuper excitatæ ſeditionis pars maxima fuerat, debita pœna mulctaſſet, vel ſaltem ab aula eiecisſet, reliquos facinoroſos haud difficulter coercuiſſet.

Elapſo tertio menſe, ex quo Lutetiam perueneramus, cum nullus adhuc de traiectione in Scotiam à Regina nuncius aduenisſet, Vincentius expedire arbitratus eſt, Dumblanenſem Epiſcopum, integerrimum, prudentiſsimumq; virũ, cohortari, vt in Scotiam proficiſceretur, ac Reginæ quædam admodum ſalutaria eius nomine enunciaret.

Porrò quàm ęgrè Vincentius ferret, ſe tandiu Pariſijs detineri, non deſtitit Reginæ iterum atq; iterũ per litteras ſignificare. In ijs aſſeuerabat, moram huiuſmodi nedum Pontificis Maximi, Legationiſq; ſuæ exiſtimationi parum decere, ſed & clariſsimo Reginæ ipſius nomini non parum officere: ſiquidem nonnulli ſuſpicari propterea potuiſſent, aut eam tàm parui à Scotis ſuis æſtimari, vt illos nequaquã ad huiuſmodi ſanctum, neceſſariumq; opus perficiendum inducere poſſet, aut in ea (quod Deus auerteret) conſtantiſsimum, ingentemq; animi ſui ardorem, quem tot, tantiſq; periculis erga Deum, Sacroſanctamq; fidem Catholicam memorabili quodam poſteritatis exemplo nu-

per

per aperuerat, aliqua in parte extinctum esse. quin immo ageret, vt, quandoquidem tantum de se apud singulos Principes Christianos, ac præcipuè apud Summum Pontificem expectationis concitasset; in id diligenter curam adhiberet, vt tùm ob Dei immortalis gloriam, tùm ob suam, populorũq; suorum salutem certa saluberrimi illius, sanctissimiq; propositi iaceret fundamenta. Ecquid enim verè pij, vereq; sanctissimi Pontificis occasionem non arriperet, qui & illam præsenti ope adiuuaret, & in posterum longè maiori pium, præstansq; eius studium esset subleuaturus? qui nihil magis cuperet, quàm vt Scotiæ nobilissimum, atq; antiquissimum Regnum in pristinum sinceræ Religionis statum restitueretur? An non paternam beneuolentiam, qua erga illam Summus Pontifex affectus erat, mutuis in illo pleno pietatis munere obeundo officijs prosequeretur? numquè aliter pacem, tranquilitatemq; certam in Regnum suum adducere, ac stabilire confideret? An non demum ob Catholicæ Ecclesiæ vtilitatem proposita pręclara facinora gereret, quibus & nominis sui immortalitatem, & felicitatem æternam esset assecutura? His itaq; accensa Regina, Edimburgi, quę est totius Regni primaria vrbs, ordinum omnium conuentum egit; vbi duo, licet difficulter, obtinuit; quorum alterum erat, vt filij, sibi paulò ante nati, baptismus publicè

ſancto Eccleſiæ Catholicæ ritu celebraretur; alterum, vt Sedis Apoſtolicæ Nuntius debito cum honore in Regnum admitteretur.

Iam verò nos Antuerpiam cogitabamus, vt illinc naui in Scotiam primo quoq; tempore appelleremus. Portus quidem Itius propior erat: ſed inde ſoluere ob proximiora Angliæ loca minus tutum arbitrabamur. Atqui tunc in Scotia tàm ſceleſtum, tamq; nefarium facinus commiſſum eſt, vt illud reminiſci, nedum enarrare animus quodammodò exhorreat.

Rex, variolarum (vt vulgò aiunt) morbo correptus, ne fortaſsis vxorem contagione contaminaret, ſe in ædes à regijs ædibus Edimburgi ſeiunctas receperat; vbi, ſimul ac conualeſcere cæpit, ab vxore ſæpius inuiſitur. quodam autem die cùm ſimul coenaſſent, atq; in multam noctem ſermonem, luſumq; protraxiſſent, quominus itidem ſimul cubarent, excuſationem affert Regina, quòd ſponſam quandam è nobilibus ſuis mulieribus ea primum nuptiarum nocte vſq; ad cubile honoris gratia eſſet comitatura: quē morē ſuperiores Reginæ obſeruare ſemper conſueuerant. Vix Regina diſceſſerat, cum ecce puluis tormentarius, per cuniculos ſubter fundamentum domus coniectus, totum ędificium continuò deijcit, ipſumq; Regem opprimit: quamuis nōnulli non ruina interemptum, ſed, dum

per

per posticum primo circa ædes audito armorum strepitu in hortum proximum cõfugeret, vnà cum familiari quodam strangulatum, moxq; ædes tormentario puluere deiectas fuisse malint. Planè constat, exangue Regis corpus in horto repertum nullo affectum vulnere, nigram tantummodò circa collum maculam habuisse. indignissima hac Regis diuulgata cęde, ingens omnes horror corripuit; quidam iniquos in Reginam sermones iacere; alij per iniuriam libellos edere: nonnulli Comitem Boduellium, quem cædis nefarię auctorem fuisse comperterant, non sicarium, sed crudelissimum carnificem accusare. adeò interdum vulgus acutissimè indagare, atq; odorari omnia solet. Boduellius, licet hæreticus, Reginæ tamen studiosissimus, fidelissimusq; semper exstiterat: nuper eam grauissimo illo seditionis periculo fortiter liberauerat, ab ipsa deniq; perditè amabatur. quamobrem in spem adductus fore, vt Reginam ipsam in matrimonio haberet, primò vxori proprię (quasi propter adulterium fieri diuortium, aliamq; ducere liceret) repudium misit, deinde Regi necem crudeliter machinatus est. Regina post, improbissimos de ea, Boduellioq; rumores dissipatos, verita ne quis populi motus in eorum perniciem fieret, Edimburgo statuit recedendum, ac se vnà cum paruulo filio ad munitam Striuelini arcem recepit; statuto prius (vt simile vero vi-

ro videtur) quid inter ipſam, & Boduellium foret poſtea tranſigendum. nam paucis inde diebus egreſſa Regina, venatum prodire ſimulat. tùm Boduellius, veluti ex inſidijs, ducentis ſtipatus equitibus, illam circumuenire, vimq; ei intendere viſus eſt. Ergò Regina vnà cum Boduellio in arcem regreſſa, confeſtim eum Orcadum Ducem, moxq; maritum ſuũ eſſe declarat, verùm nuptiæ illæ neutiquam fauſtæ, ac diuturnæ fuerunt: quippe quæ non matrimonij dignitate, ſed indigni facinoris ſocietate cõiunctæ viderentur. Eo tempore Morauienſis è Scotia aberat, præ cœteris tamen relicto Ledingtonio, qui nouas, vt occaſio daretur, turbas, nouasq; rixas faceret. Huic quàm facillimum fuit ſpontè omnium in Reginam, Boduelliumq; ira accenſos animos acrius inflammare. Raptim igitur, turbulenteq; exercitu Edimburgi comparato, ſubitò Striuelinum verſus caſtra mouentur. id vbi Regina intellexit, ſecum mulieres tantum, paucoſq; aulicos homines adducens obuiam prodeundum duxit; Venienti debita cum reuerentia aſſurrexerunt. interrogati, quanam de cauſa armati illuc acceſſiſſent, non alia, reſpõdiſſe feruntur, niſi, vt atrocem iniuriam à Boduellio factam, ac crudelem, & indignam Regis necem, vimq; ipſimet Reginæ illatam vendicarent. At Regina noxam Boduellij purgare: nihil non ipſa aſſentiente commiſſum. Quo ſermone adeò ſunt

commoti, & exarserunt, vt omnes illicò vno ore acclamauerint. Et tu igitur, Domina, apud nos captiua eris: nec mora, ad arcem insulæ intra lacum Leuinum in custodiam mittũt, vno ei tantum lixa, duabusq; infimæ conditionis mulierculis ad ei ministrandum concessis. Boduellius interea sese ad mare in fugam dat: nauem conscendit. quid de eo postmodum euenerit, non satis certum, alij naufragio demersum, alij ab Orcadum Præfecto occisum, alij in Daniam appulsum à Danorum Rege in vincula coniectum, atq; illic miserè extinctum affirmarunt. exploratum quidem habuimus, Morauiesnem in Scotiam reuersum, Principisq; pueri tutorem declaratum, nullum impietatis, nullumuè seuitiæ genus in Catholicos non adhibuisse. Passim bona proscripta; pleriq; mulctati capite; quodq; bonis omnibus acerbissimum, atq; horrendum fuit spectaculum; Arciepiscopus sancti Andreæ, totius Regni Primas, Regio sanguine ortus, septuagesimũ ætatis annum agens, vir pietate, sanctitateq; maximè insignis, Edimburgi sacris per ludibrium indutus vestibus ad supplicium rapitur, publicoq; latronum patibulo suspenditur. Verum enimuerò Morauiensi nihil magis curæ esse, quàm vt Regina è medio tolleretur. Sed & ipsa ad fugam ornandam omnem (vt aiunt) lapidem mouere. Præfecti animum pollicitis sæpius tentare. quem tamen, vt potè Mo-

tè Morauiẽſis amiciſſimum, corrumpere nequiuit. Nauicula è proximis lacui continentibus locis victui neceſſaria in arcem tranſportabantur. Egit itaq; Regina cum nauiculario, vt litteras, quas ad nonnullos ex ſuis, & præcipuè ad Dominum de Betori, Archiepiſcopi Glaſquenſis fratrẽ, dabat, tutò reddẽdas curaret. Scribebat, vt clàm circa littus. opperirẽtur; futurũ nãq; ſperabat, vt ſe ſe ex arcis cuſtodia eripere, atq; ad eos tranſire poſſet. Egregiè ad id nauicularius operam præſtiterat, donec in ſuſpicionem Præfecto venit; qui iccirco vel omnes eius motus obſeruare quàm diligentiſſimè cœpit. Arcis vnica erat porticula: quæ ſi quando aperiretur, illîc Præfectus perpetuò aſſidebat: clauſæ quoq; clauis non ab alio, quàm ab ipſo aſſeruabatur. Accidit quopiam æſtiuo die, vt, dum Præfectus ante vigeſimam ſecundam horam coenaret, clauemq; in ipſius menſæ angulo repoſuiſſet; puer quidam inſeruiens, cùm mappam mutare videretur, clauem ſurripuerit, & ad Reginam detulerit. Regina, illicò vnius è mulieribus ſuis ſordida veſte induta, ne dignoſceretur, vnà cum eodem puero, alteraq; muliere per conclaue, vbi Præfectus epulabatur, tranſiens ad portam contendit: quà aperta, tùm è parte exteriori adeò clauſa, vt ex interiori poſtea vix potuerit aperiri, nauiculam conſcendit, ſoluit, tantumq; pueri, ac mulieris ope remigando conata eſt,

vt in

vt in continentē incolumis transmiserit, antequàm Præfectus eam fugisse animaduerteret. E nauicula quoddam dederat signum, quo degentes sui circa littus ipsam aduentare facilè possent cognoscere. Ex his Betonium primò obuium habuit; cum quo statim in equum ascendens, totamq; noctem obequitans longam viam confecit, atq; in tutum peruenit. Ad illam protinus confluxerunt, qui se se, fortunas, vitamq; pro eius dignitate recuperanda vltrò offerrent. At Morauiensis contra exercitum instructum mouet, confestimq; Reginæ copias ita profligat, vt ipsamet demum è Scotia cedere cogeretur. Intra Angliæ fines ingressa Betonium ad Elisabettam Reginam eo nomine legat, vt, publica accepta fide in Galliam traijcere possit. Sed quàm eam indignè Elisabetta in custodiam dederit, & quàm asperè tractauerit, deniq; quàm crudeliter, atq; iniustè capite damnauerit, aliàs forsitan edocebimus. Vnum certè pręterire non possumus, Mariam Scotorum Reginam, licet tot tamque grauibus calamitatibus conflictata fuisset, animum tamen erga Sacrosanctam Religionem Catholicam non modò infractum, sed constantissimum vsq; ad extremum halitum adeò fortiter gessisse, vt, quicquid prius pro humanę conditionis imbecillitate minus dignè commiserat, id præcipuo quodam Dei immortalis beneficio visa fuerit expiasse.

Desperatis igitur rebus ad Religionem Catholicam in Scotia pertinentibus, Vincentius, cùm iam legationis suæ munus se non posse exequi videret, nihil sibi magis curæ esse voluit, quàm ut annuente Sūmo Pōtifice ad regendam Ecclesiam suam Montis regalis aduolaret, quò cum primò aduenissemus, non vrbis solum, verum etiam vniuersæ diœcesis loca sacra omni studio visere instituit. ob præteritorum bellorum iniuriam euenerat, vt plures in illa ditione hæretici non modò versarentur, sed priuatis quoq; in domibus impias cōciones haberent, cœtusq; nefarios agitarent. Eos Vincentius partim incredibili vigilantia, & dexteritate allexit, vt, prauis dogmatibus damnatis abiuratisq;, Religionis Catholicę doctrinam amplexantes ad Sacrosanctę Ecclesiæ gremium reuerterentur; partim, quos obstinatiores agnouerat, debitis iudicio pœnis affecit. Sicq; radicitus intrà paucos dies euulsis prauis hæresibus, tota illa diœcesis mirandum in modum est expurgata. Diuturnas, atq; inueteratas inimicitias, quæ inter plures illius ciuitatis nobilissimas familias alebantur, abolere laborauit, & tandem extinxit, odiaq; mutua ciuium vix placabilia sustulit, placauitq;. Collegium deniq; è Concilij Tridētini præscripto pro puerorum animis ad pietatem, religionemq; informandis instituit.

Iam pridem Pius Quintus in animo habuerat

Vin-

Vincentium ad Gallorum Regem Nuntium designare. Sed cum Franciſcus Baccodius Epiſcopus Geneuẽſis apud Emanuelem Philibertum Allobrogum Ducem Nuntius Taurini ab hominibus demigraſſet, illuc potius mittendum duxit, vt vno eodemq; tempore vniuerſali, ac proprię Eccleſię propter vicinitatẽ vſui eſſe poſſet. Prius Pontifici quędam minus grata cum Emanuele Philiberto interceſſerant, non ipſius quidem Ducis culpa, ſed adminiſtrorum quorundam incuria; qui ei, dum Cardinalem ageret, atq; Eccleſiam Montis regalis à Pio Quarto obtinuiſſet, in ijs, quæ ipſemet pro expellendis hæreticis ſummoperè expetebat, minus affuerant: licet ad id fortaſſis temporum neceſſitate coacti. Vbi igitur primò Vincentius Emanuelem Philibertum adiuit, illi hortator, ſuaſorq; eſſe cœpit, vt hæreticos è Subalpina ditione ſua expelleret. neq; enim vlla alia ratione prouinciæ illius ſecuritati proſpici poſſe. Recens Galliarum exemplum præ oculis eſſe, quæ tàm miſerè, tamq; perditè à ſeditioſis hæreticis affligerentur; nam perſpicuum eſſe, impios hæreticos non alia de cauſa conſcientię libertatem prætendere, niſi vt falſæ Religionis inuolucris, & quaſi velo quodam in Principes ſuos perfidiam, & iniquitatem obtendant. nam qui debitam erga Deum fidem violant, an non & Principibus infideles exiſtãt? quòd ſi quid ſibi à Sede Apo-

ſtolica pro rerum ſuarum incolumitate in dies ſperandum, expectandumq; eſſet, nullam prorſus aliã viam inſiſtendam putaret. Teretes quidem aures, intelligens iudicium, ſummaq; cum pietate ſummam coniunctam prudentiam habebat Emanuel Philibertus Dux. quocirca ſana Vincentij conſilia, vt ab optima fide, & optimo animo proficiſcebantur, non modò agnouit, ſed & re ipſa probauit. nã auctoritate, atq; imperio confeſtim Sedis Apoſtolicæ Nuntio aſtitit; qui quot quot hæretici in illa Prouincia eſſent, aut hos eiecit, aut impuros, impiosq; eorum ſenſus pura, incorruptaq; Catholicæ fidei doctrina emendauit, & ad bonam frugem, vt dicitur, redegit; Ex actis planè Romam tranſmiſſis, quoſdam è nobilioribus familijs, qui nefaria hæreſum peſte infecti fuerant, publicè abiuraſſe conſtat. Sed & Tendæ Comitiſſa, licet magnorum Principum potentia fulciretur, Taurino, vbi priuatæ eius ędes à prauis Caluinianæ Sectę hominibus fręquentabantur, diſcedere, ac ſe Geneuam, turpibus & ipſa hæreſum ſordibus inquinata, ad fœdiſſimã illam Chriſtianæ Reipublicæ ſentinam conferre coacta fuit. Niciæ inter cæteros Rogli Domina, auctore Vincentio, abiurauit. Fœmina illa ſanguinis genere nobiliſsima peſtiferum hęreſis venenũ, quo ipſa pridem correpta fuerat, alijs infundere tãtopere laborarat, vt à Beza illo Geneuenſium pſeu-

do magistro Prouinciæ Apostola appellaretur. At post quàm perniciosam animi labem eluisset, confestim egit, vt è subditis suis trecenti,& quinquaginta hæretici homines resipiscerent. Memini tunc Emanuelem Philibertum Ducem, vnaq; Tendę Comitem, qui sermonibus pro foemina ad Religionis Catholicæ pietatem instruenda à Vincentio habitis interfuerant, dixisse, eiuscemodi argumentis vel eas vniuersas regiones, quę fuerant contaminatæ, potuisse ab hæresibus reuocari. Hinc Vincentius Pio Quinto Pontifici auctor fuit, vt Emanuelem Philibertum inter cæteros Principes Christianos maximè clarum haberet, vnicèq; amaret. Præclarum certè paternæ suæ erga eum beneuolentiæ signum prębuit, cum Michaelé Bonellum Cardinalem Alexandrinum ex sorore nepotem, qui Sabaudię res in Vrbe auctoritate perpetuò protegeret, hac vna scilicet conditione voluit declarari, vt sibi quoq;, quoad viueret, in hoc pars maxima reseruaretur; sed longè magis, quando post celeberrimum, sanctumq; illud sociale inter eundem Pontificem, nec non Regem Catholicum, & Remp. Venetam aduersus Turcas foedus sancitum de Emanuele Philiberto vniuersæ clasi, & exercitui præficiendo cogitauit. neq; enim ignorabat, Principem illum, qui vel à teneris annis sub Carolo Quinto Cæsare inuictissimo belli summam administrauerat, adeò

virtute, ſcientiaq; rei militaris præſtantem eſſe, vt non dubitandum videretur, quo minus felici eius ductu, & auſpicijs certa omnino de hoſtibus victoria reportaretur, niſi iam Deus, cuius in primis ope, & auxilio ſummorũ Principum conſilia gubernantur; inſignis illius victoriæ gloriam Ioãni Auſtriaco deſtinaſſet. Quanti verò Emanuel Philibertus probitatem, prudentiam, ſapientiam, cæteraſq; præſtantiſsimas Vincentij virtutes æſtimauerit, nihil eſt, quòd in medium afferamus. palàm eſt enim, ipſum illis tãtum tribuere ſolitum fuiſſe, vt nihil quicquam vnquam in animo haberet, quod non cũ Vincentio communicandum putaret. memoria teneo, Emanuelem Philibertum, quo tempore Vincentius Taurini dupla, vel tripla etiam quartana iactaretur, & me, vt negotia procurarem, ad eum ſæpius mitteret, mihi ſemel, atq; iterum aſſeruiſſe, ſe Principum omnium fortunatiſsimum fore, ſi vnũ, aut alterum adminiſtrum haberet, qui ſibi æquè inſeruiret, ac Montis regalis Epiſcopus Sedi Apoſtolicæ egregiam, vtilemq; præbebat operam. Angroniæ vallis, quæ intra alpes ſita eſt non procul Veſulo, Padiq; fonte, ab hæreticis poſt hominum memoriam ſemper habitata fuit. eam enim antiquitus Valdenſes, poſtremis verò temporibus Caluiniani tenuerunt, natura, ſituq; locorum, atq; in primis Gallorũ confinijs ita ſepti, munitiq;, vt armis nun-

quam depelli potuerint. Egerat Vincentius cum Emanuele Philiberto, vt illuc sibi proficisci liceret; neq; enim diffidebat, quo minus pijs sermonibus, hortationibusq; miseras populorum illorum viuendi conditiones ad Sacrosanctæ Religionis Catholicę institutiones conuertere aliquando posset.

Sed interim mortuo Pio V. Gregorius xiij. creatus Pontifex Maximus, aliam illi continuò prouinciã, in qua multo maiorem pro Dei Ecclesia sementem faceret, indeq; maiorem quoq; messem meteret, delegauit. nam cum in ipso Pontificatus initio Christianorum omnium Principum animos tentare orsus esset, vt foederi pridem aduersus Turcas inito ascribi vellent. Vincentium ad Sigismundum Augustum Secundum Polonorum Regẽ Nuntium declarauit. quod quidẽ Emanuel Philibertus admodum iniquo animo tulit. ac quantoperè sese tanti, tàmq; præstantis viri præsentia, & consilio priuatum iri doleret, per litteras Pontifici significauit. quin constans fuit opinio, nonnullos, qui Vincentium apud Sabaudię Ducem tantum auctoritatis habere ægris oculis perspicerent, Sũmo Pontifici, vt illum honoris gratia, siue etiam ob publicũ commodum in Poloniam mitteret, suppliciter insinuasse. At dum se Vincentius vię accingeret, illicò Sigismundi Regis obitus nuntiatur; quocirca, vt tãdiu itinere desisteret, à Pontifice habuit in mãdatis,

dum

dum nouus Rex fuisset electus. Romam quoq; accersitus, in Vaticani Pontificijs ædibus liberaliter, honorificeq; tractatur.

Dehinc Henrico Valesio, Caroli Gallorum Regis fratre, à Polonis ad Poloniæ Regnum electo, confestim Vincentius Summi Pontificis iussu in Galliam proficiscitur, vt ipsi Henrico Regi tùm de amplissimo à Polonis sibi Regno delato gratularetur, tùm frequens Sedis Apostolicæ nomine assideret; illumq; ad Religionem Catholicam in Polonia defendendam, propagandamq; excitaret. Hæc quanta cum fide, ac diligentia præstiterit, re ipsa vidimus comprobatum. Porrò Lutetiæ cum Henricus conditionum capita, è quibus vnum præter consuetudinem inito inter hæreticos in Polonia foederi nimis faueret, à Polonis Legatis allata iure iurando confirmaturus esset, sola Vincentij cohortatione permoti Episcopus Posnaniensis, vnaq; Palatinus Laschius, nec non Dux Olicę, qui è legatorũ numero erant, se se palàm opposuere, ac testificationem contra illud exitiale hęreticorum foedus obsignatum in tabellas retulerunt. idq; licet Ioannes Sboröschius Odolanouiensis (vt vocant) Capitaneus atrox, truculentusq; hæreticus, & ipsemet vnus è Legatis tùm propria animi ferocia, tùm aliorum hæreticorum ope, & auxilio fretus plurimum insultaret, ipsiq; Posnaniensi coràm Rege necem

lingua

lingua Polonica minatus fuiſſet. quò verò Vincentius Poſnanienſem, alioquin natura timidum, ad præclarum illud opus perficiendum magis accenderet, ſemel ad eum mediæ noctis tempore Aloyſiũ Cardinalem Eſtenſem adducere coactus fuit; qui vel mille ſibi nobiles homines, ſi opus foret, præſidio futuros polliceretur. ſimulac autem peruenit in Poloniam, omnes ingenij neruos intendit, ne à Rege in ipſa inaugurationis ſolenni cerimonia aliud iuſiurandum præſtaretur, quàm quod à ſuperioribus Regibus præſtari ſolitum fuerat; nimirum vt vna hac ratione nouum illud peſtiferum hæreticorum foedus abrogaretur; pro quo approbãdo quãuis Cracouiæ, Vilnæ, & Sandomiriæ Palatini à Rege vehementer etiam atq; etiam contenderent, tamen ab Archiepiſcopo Guiſnenſi Regni Primate, quem Vincentius ad id maiorem in modum excitauerat, repulſam tulerunt. quam ob rem cum dubitaretur, ne tumultu in templo, vbi Rex inaugurabatur, concitato ad arma deueniretur, expedire viſũ eſt, vt Cotqueuiſchius Lituaniæ Mareſciallus proponeret, ſatis omninò illis eſſe debere, ſi Rex pacẽ, & tranquillitatem inter diſsidentes de Religione conſeruaret. quod quidem Rex ſe curaturum, nullo tamen iureiurando interpoſito, firmoq; Catholicorum iure, affirmauit. in illis Comitijs, quæ ob Regis inaugurationem Cracouiæ celebrabantur, ſummis

mis viribus laborabant hæretici, vt, dum Regni ſta tuta confirmarentur, propoſita Pariſijs capita rata, firmaq; haberentur. Hoc Vincentius continuò oppugnare, Regem adire, alloqui, vehementius admonere, hortariq;, vt hæreticorũ poſtulata nihil penderet: quin impunè contemni poſſe ſibi perſuaderet. ſi ſtabilia Regni diutius retinendi fundamenta iacere vellet, in primis Religionem Catholicam ſarctam tectam ſeruatum iri curaret. nam ſi Deo debitus cultus non perſoluatur, an & Regibus obſequia debita impendantur? Volueret animo, ſe à pueritia aduerſus hæreticos in Gallijs arma mouiſſe, inſignesq; aliquot victorias conſecutum fuiſſe. Nunc tanta omnium bonorum expectatione ad Poloniæ Regnum aſcitus paucos hæreticos, quaſi latrantes canes, pertimeſceret? non horum temeritatem, impudentiãq; corriperet? Auderet, ageretq; fortiter; futurum proculdubio, vt potentiſsimum Dei immortalis præſidium ſibi perpetuò adeſſe intelligeret, & maximam nominis exiſtimationem non apud Polonos ſolum, verum etiam apud exteras nationes compararet. Rex igitur, ſtatuta Regni obſignaturus, confirmationis decretum non aliud promulgauit, quàm quod olim in aliorum Regũ, ac præſertim Sigiſmundi nuper defuncti inauguratione fuerat promulgatum. Huiuſmodi Regis decreto hæretici tàm acriter exarſerunt, vt de externis

Ora-

Oratoribus eijciendis in Senatu, licet frustra, non alio tamen consilio retulerint, quàm vt Sedis Apostolicæ Nũtium, cui vni profligationem suam acceptam referebant, expellere possent. immo Nuntius Regi persuasit, vt Catholicis tantùm Regni Palatinatus, cæterosq; dignitatum gradus deferret. Tali tempore Andreas Lorichius, natione Danus, magni ingenij vir, à Rege Suetiæ ad Henricum Legatus erat. Hunc cum Vincentius ab hæresi ad fidem Catholicam reduxisset, ad ipsum quoq; Suetiæ Regem instruendum appulit animum. nam & illi sæpius per litteras, necnon per Stanislaũ Varseuiciũ Sodalitatis Iesu Polonum virum nobili genere ortum, doctissimum, ac religiosissimum, sanam puramq; Religionis doctrinam aperire conatus est, & Summo Pontifici persuasit, vt in Suetiam Antonium Posseuinum, & ipsum Sodalitatis Iesu, eruditione, pietateq; præstãtissimũ cõmilitoné mitteret.

Sed ecce Henricus Rex de Caroli fratris, Gallorum Regis, morte certior factus, Cracouia clàm discedit, vt primò per Silesiam, indeq; per Italiam ad Regnum Galliæ sibi debitum, cuius iam fuerat successor declaratus, aduolaret. Poloni ob clandestinum Regis discessum grauiter exarxere. nec defuerunt, qui in Sedis Apostolicæ Nuntium inueherentur; quidam minas intentare; nonnulli adiuncti hæreticis de Regno adipiscendo cogitare. Populi

aurani

auram aucupari, ambire: modò hos, modò illos pa làm prensare; se se demum (vt vocant) Piastos decla rare. Contra Vincentius pro imminentibus periculis propulsandis summam prorsus diligentiam, curam, operamq; adhibuit, vt Archiepiscopũ Gnesnensem, reliquosq; Ecclesiastici ordinis, atq; alios quot quot adire, siue per litteras compellare posset Principes Catholicos viros in fide contineret. neq; enim tunc res secundum leges, nec vt in interregno more maiorum procedebat, sed aperta vi, & libidine eorum, qui Piastum agebant, omnia turbabantur. Piasti nomine appellantur in Polonia quicumque ex Polonis, ad interregnũ rebus adductis, Principatum sibi Regium petunt. Vsurpato videlicet Piasti illius nomine, quem post Populum secundũ scelestum, ac detestabilem parricidam miserabiliter, vt par erat, extinctum, non humanis suffragijs, sed diuino propemodum iudicio Principẽ renunciatum fuisse nouimus. Siquidem tradunt, cum eligendi Regis negotium in varia ambitiosorum hominum studia, atq; in partes contrarias distraheretur, interimq; Polonia in summa omnium licentia diuexaretur, Piastum vnum omnes sibi Principem dari acclamasse, atq;, vt erat sordido palliolo indutus, è paruo tugurio, vbi vitam agello modico colendo, & mellificio tolerare solitus fuerat, ad Regiam deduxisse.

Cæterum, dum post Henrici è Polonia subitum discessum in singulis cuiusq; Palatini regionibus Conuentus haberentur, plurimum laborauit Vincentius, vt Piastorũ petitionibus, & conatibus Reipublicæ causa resisteret. ratione enim, animoq; lustrauerat, ex eorum cupiditatibus dissensiones, & discordias ciuiles absq; dubio erupturas; quibus Regnum, atq; in primis Religio Catholica miserè discinderetur; moxq; Turcarum Imperatori, siue etiam magno Moscouiæ Duci Poloniam inuadendi, atq; aliqua ex parte occupandi occasio daretur. in Conuentu verò generali Varsouiæ celebrato, in quo Archiepiscopus Gnesnensis, cęteriq; Ecclesiastici ordinis Senatores imprudenter assenserant, vt Synodus prouincialis vel ipsis Palatinatuum Nuntijs assistentibus cogeretur, non prætermisit Vincentius, quin rem iam propè explicatam perturbaret, atq; impediret. Siquidem nouerat ab aduersarijs Synodum nationalem, & in ea controuersiarũ inter Ecclesiasticos, profanosq; homines compositionem dolosè prætendi, vt postmodum partim blanditijs, partim minis decretum aliquod contra Religionem Catholicam, Ecclesiarumq; immunitatem, ac libertatem ab ipsis Ecclesiasticis extorquerent. Hæc potissimum deducebat; primam post Concilium Tridentinum in Polonia celebrandam Synodum non nisi Summi Pontificis assensu, & con-

consilio indici debere. Ad Archiepiscopi quoq; & reliquorum Ecclesiasticorum, vel vniuersæ etiã nationis existimationẽ, & dignitatem attinere, vt aliarum Prouinciarum exemplo, quę fidem catholicam mordicus tenent, necnon ex ipsius Cõcilij Tridentini præscripto nonnulla, quæ ad diuinum cultum, disciplinãq; Ecclesiasticam promouendam vsui futura essent, statuta conderentur. id autem, dum esset interregnum, nullo modo effici posse. neminem enim non conijcere, perditos dissolutósq; homines, atq; in primis hæreticos, ne quid nefariæ pestis ecclesiasticis machinarentur, non aliter, quàm auctoritate regia compescendos. An pro ijs, quæ fuissent decreta, stabiliẽdis, exequẽdisq; non primùm Summi Põtificis assẽsione, & approbatione, deinde Principis auxilio opus esse? sed & Episcopo Cracouiensi attulit impedimentum, ne eo tempore diœcesanam Synodum ageret, in qua proprijs quibusdam cõmodis ductus Palatinatus Nuntios nimis graui in ordinem Ecclesiasticum detrimento adesse volebat.

Iam verò spe ammissa reditus Henrici Regis in Poloniam post legitimã interregni declarationem nihil magis Vincentio curę esse, quàm vt Maximilianus Romanorum Imperator, aut Ernestus filius à Polonis Princeps eligeretur. quod si Poloni spes suas omnes in Maximiliano Cęsare collocarẽt, non solum illius Reipublicæ, Religionisq; Catholicæ

 res

res in illo Regno pacatæ, tranquillę, prosperęq; red di quàmfacillimè potuissent, sed & vniuerso Christiano orbi id magnopere profuturum. Animaduerterent, Regnum Poloniæ tantam sibi vna illa ratione & finium, & fortunæ, & potentiæ accessioné adiuncturum, vt vel ipsi Turcarum Imperatori, nedum alijs formidolosum foret. Accedere etiã, quod Summus Pontifex necessarij, Sanctiq; inter Principes Christianos aduersus Turcas fœderis stabiliédi occasionem àliquando haberet. Tam magnum quidem, tamq; potentem Turcarum Imperatorem eua sisse, vt tum Christianis omnibus, tum pręsertim Polonis timorem deberet incutere. Eò maius omnino Poloniæ à Turcis periculum imminere, quo minùs Regnum illud naturà regionis vallatum, munitũue esset. Nec spem in Tyranni illius infidelis pace poni debere, qui è commodo suo tantùm fidem seruare, aut frangere semper solitus fuerit.

Ante diem Comitijs habendis dictã Vincentius Maximilianum Cæsaré admonitum voluit, vt pro negotio ex animi sentétia conficiédo Lituanos Masouitis coniungédos curaret, è quibus equitum sex millia (cuiuslibet nationis scilicet terna millia) Varsouię præsto essent; qua in vrbe Comitia ipsa indicta fuerãt: neq; verò id, vt alicui vis inferretur, verùm vt aduersarijs, ne quid violenter contra leges Regni facerent, frenum inijceretur; quod ab inferio

ri no-

ri nobilitate, quæ Piasti, Moschiuè partibus fauebat, eò magis timendum videbatur, quia Podoliæ Palatinus Piastorum primarius, quò propositum sibi finem consequeretur, & Scytharum in Russiam incursionibus, & vario, atq; ingenti Turcarum terrore vulgus commouere non desistebat.

Comitiorum initio Vincentius multum operæ, & laboris consumere coactus fuit, quò Archiepiscopus sibi persuasum esse vellet, ne de quopiam alio eligẽdo, quàm de Maximiliano Cęsare ad Senatum referret. nam vnà etiam de Suetiæ Rege, & de Moscho se relaturum statuerat, conditione adiecta, vt vnus, hæresibus abiuratis, Religionem Catholicam amplexaretur, alter Grecorum sectam reijceret, Romanamq; Ecclesiam agnoscens, debitam erga Summum Pontificem reuerentiam, obedientiamq; adhiberet. Semel itaq; Vincentius facere nõ potuit, quin ei diceret: Nonne consideras, optime Pręsul, abs te quartum cãdidatum præteriri? Percunctãti Archiepiscopo, ecquisnã quartus ille esset: Imperator Turcarũ, inquit. Cumq; admiraretur Archiepiscopus, à Sedis Apostolicæ Nuntio Turcarũ Imperatorem nominari: ne mireris ait Vincentius. etenim si Ecclesiastici ordinis, totiusq; Reipublicæ Polonæ primario Senatori vicinitatis gratia de hęretico vno, & de scismatico altero referre liceret, nonne de infideli sub conditione, si se Christiana fide initiatum

iri

iri promiserit, pariter referri licuerit? sicq; Primatis Regni sensus popularis penitus erit, vt potè qui catholicis, hæreticis, scismaticis, infidelibusq; arridebat. His vbi Archiepiscopus sententiam illã suã à sedis Apostolicæ Nuntio impugnari sensisset, excusationeq; sibi veniam dari postularet, ne, si quæ iam pollicitus fuerat, non præstitisset, inconstantię nota sibi inureretur; Constantiam quidẽ virtutem esse, asseuerabat Vincentius: quid verò à virtute semina malorum spargentur? eritne è dignitate illius, qui in Polonia ordinis Ecclesiastici caput esset, vt dum noui Regis electioni daretur opera, hæretici, aut scismatici mentionem faciendam putaret? quãnam apud Summum Pontificem excusationem afferet? quin diligẽter expenderet, quàm grauibus inde incommodis, difficultatibusq; Respublica afficeretur. etenim omnibus patere, si de vno, aut altero eorum à Primate fuisset relatum, posse facilè negotiũ confici, nulla postmodum conditionum habita ratione; Optimo igitur de Nũtij Apostolici sententia capto consilio, Archiepiscopus ad solam Maximiliani Cęsaris petitionẽ promouẽdã appulit animũ.

Maximiliano in primis studere videbantur Lituani, spesq; non exigua habebatur, vt illis maiori ex parte Masouitæ, & Prussi coniungeretur. Quò cautius autem pro Maximiliano ageretur, Vincentius incumbere, vt, quatenus opus esset, comitia illa

tantisper protraherentur, dum aduersa nobilitas discedere cogeretur, eo tamen animo, vt Lituani, & Masouitæ præsentes adessent; ad hæc ne comitia, sicuti Piastorum opera timendum erat, dissoluerentur. namq; id, si euenisset, non solum Moscho, qui res suas interea commodius tractare potuisset, plurimum adiumenti attulisset, verùm etiam Turcas in Regnum, vnde postea difficulter expellerentur, propter Piastorum ambitionem introduxisset. insuper Vincentius confestim Maximilianum de periculo, in quo versabantur, admonuit, ne nobilitas, vbi secessionem fecisset, quempiam alium tertium statim eligeret. Sin verò, quod futurum omninò sperabatur, ipsum Senatus Regem declarasset, summam rei in celeritate consistere. Præsentia itaq; auxilia præpararet, quibus cõfestim Regnũ ingredi posset, antequàm aduersarij subsidium à Turcis petendi tempus daretur.

Postremò Archiepiscopus electionis decretum, quo Regnũ Maximiliano Cæsari deferebatur, vniuerso ferè Senatu, necnon Lituanis, Masouitis, Prussis, atq; è nobilitate non paucis assentientibus promulgat. Ad templũ subitò accuritur. sacer hymnus, Te Deum laudamus, de more solemniter decantatur. idq; licet prius aduersarij vehementius Archiepiscopo minati fuissent, atq; omnia, quæ pro Maximiliano gererentur in Apostolici Nuntij odium reuocare

uocare contenderent. Cum verò se se in proprium circulum recepissent, liberiusq; obloquerentur, ad Regni Marescialllum nuntios mittunt, quò impedirent, ne ab ipso quoq; electionis decretum promulgaretur. Præterea Annę Sigismundi Secundi Regis sorori, quam infantem vocabant, per Sandomiriæ, Belzæq; Palatinos sibi in animo esse significant, vt illam Poloniæ Reginam faciant, dummodò ipsa Principi Transyluaniæ nubere velit. Vincentius omni tunc cura, studio, ac diligentia eniti, vt auersam, seiunctamq; nobilitatem ad Senatus coniunctionem alliceret. Annę infanti suadere, vt Transyluani nuptias, tanquàm Reipub. Polonę perniciosas, recusaret. futurũ, vt è Senatus consulto, quod à Maximiliano Cæsare approbari debebat, Ernesto Austriaco, Maximiliani ipsius filio, posset in matrimonium collocari.

Tùm per litteras Maximiliano instare, vrgere, vt, quam maximam posset pecuniã, statim curaret, quò præsidijs maioribus Cracouia muniretur; firmareturq; & Rusię rebus, quę non modò à Scythis, verùm etiam ab ipsius prouinciæ nobilitate turbari poterant, consuleretur; copias compararet, quibus quàm primùm ad Olomutium Morauiæ saltem accederet. neq; enim dubitandum, quin, si primus Polonię fines attingeret, in Regni possesionem admitteretur. Tarditatem, & procrastinationem non

modò

modò multa ferre incommoda, sed eam quoq; fore odiosam. Magna diligentia opus esse; ab ea vniuersam rem pendere. quòd si aduersario daretur spatiũ, fore, vt ingentia pericula non ipsi solùm Poloniæ, sed & toti Christianæ Reipublicæ impenderent. nã quamuis forsitan Transyluanus cum Romanorum Imperatore contendere minus vellet, ad id tamen sine dubio à Turca impelleretur. nihil ergo esse, cur iam amplius moram interponeret, sed iam accelerarct, vt & Turcæ, & Transyluano malum intentandi facultatem adimeret. sibi deniq; persuaderet optatissimo suo in Poloniam aduentu, quasi oriente sole, omnes irarum, odiorum, seditionumq; tenebras è Polonorum animis depulsum iri.

Oratores Cæsarei interea, & qui à Senatu ad hoc fuerant destinati, pactiones inter Maximilianum, & Regnum seruandas firmant: rursum electionis decretum promulgatione à Regni Maresciallo itidem facta corroboratur: quin etiam hymnus, Te Deum laudamus, solemni ritu, magnaq; nobilium frequentia iteratur. non iccircò tamen pacati aduersarij, sed nimis præfractè susceptam causam defendentes conuentum generalem Andriouiæ, ab vrbe Crocouia decem millia passuum, indicunt. quo tempore Transyluanum quoq; in locum illum conuenire posse arbitrabantur. obuiam ei vsque ad Regni fines prodeundũ statuunt. præterea nobiles suos ar-

 mates

matos omnes non secus, atq; ad bellum proficiscentes, conuentui interesse iubent.

Hi pro odio, quo Austriacos prosequebantur, & vt externis, domesticisq; præsidijs munirentur, Infantem Annam, vnaq; Transyluanum Regno præficiendum proposuerunt; fore enim confidebant, vt Transyluanus ipse tùm propter vicinitatem, tùm propter Turcarum auxilia eam militum vim subitò colligere posset, quæ ad rem gerendam necessaria videbatur. Nec diffidebant, quin Sborosciæ gentis opera vrbem, arcemq; Cracouiæ, vbi Reges inaugurari soliti sunt, occuparent. Cracouiensem quoq; Episcopum, qui de Maximiliano eligendo assentiri noluerat, in partes suas adduxerant.

Inter tot, tantasq; turbas Vincentius factionem Austriacam in officio continere non destitit. Palatinum Laschiũ Viennam statim mittendum duxit, qui Maximilianum de his omnibus erudiret, & ad omnem cunctationem abijciendam stimularet. Maximiliano celeritas maiorem in modum inculcabatur, non solùm vt Olomutium quàm primum iret, electionisq; decretum acciperet, sed etiam, quod maximè opus erat, ipsius Laschi ductu copias ad Lanscoronæ arcem, quæ Cracouia quattuor millia passuum distabat, præsidio firmandam mitteret. namq; qua Laschius virtute bellica pollebat, hostes quã facillimè repressisset, ac præsertim si Christophorus

Sboro-

Sboroſcius Cæſaris intimus familiaris illi fuiſſet adiunctus;à quo etiam ſpes fratribus Sboroſcijs ſuis cum Maximiliano gratiam ineundi afferri potuiſſet.etenim Poloni homines non ita ſunt pertinaces, vt de ſententia ſemel ſuſcepta deici aliquandò nequeant.Perſpectum ſanè eſt,iam à Palatino Cracouiæ orationem, quam ad Maximilianum, ſi in Poloniam proficiſceretur, de ſe in gratiã reconciliando,ſuppliciter haberet; copioſam fuiſſe conſcriptã. Ex quo ſumma interdum negotia, quæ ab initio, atq; ex opportunitate quàm facillimè conficerentur; amiſſa poſtmodum occaſione, vix magnis impẽſis, & conatibus ad exitũ perduci poſſe probatur.

In Andreouienſi verò non legitimo Conuentu abſq; primitis authoritate conuocato, poſt magnã inter Piaſtos, Batorianoſq; contentionem, cùm ex Piaſtis alter alteri in petitione cedere noluiſſet,Stephani Batorei Transyluani Principis, infantiſq; Annæ electio iiſdem,quæ in Varſouienſi ſeceſſione inſtitutę fuerant,conditionibus approbatur,& confirmatur. Oratores quidem Cæſarei illic aderant: non tamen, niſi confecto negotio, locutum intromiſsi; nec aliter, ac ſi dimicandum foret, in armis excepti fuere.

At non his fracto animo Vincentius eſſe. imò Maximilianum,ne de Regno deſperaret,commonere, dummodò properaret. neq; enim à Turcis; qui,

vt exercitum in Poloniam mitterent, Pannoniç munitiones denudare nollent; posse subitò auxilia Batoreo suppeditari: sed iam, si adhuc Regnum assequi vellet, festinaret; si amittere, cunctaretur. Fabiũ illum quidem Maximum olim rem Romanis cunctando restituisse. atqui Maximilianus ipse Romanorum Imperator caueret, ne magnum tàm sibi, tùm vniuersæ Christianç Reipublicæ detrimentum cunctando importaret. omnes, qui eius pietatem, prudentiam, animiq; magnitudinem nossent, plurimum admirari, eum toties edoctum res ad tàm excelsam prouinciam suscipiendam necessarias opportunè non præparasse. manifestò, & quodammodò manuteneri, si confestim ad Regni limites appropinquasset; aut saltē Laschium ad Cracouiam vrbem propugnandam misisset, & Andreouiensem Conuentum dissolui, Nobiles, qui secesserant, facilè in partes suas pertrahi potuisse. Cunctationem certè suam (quasi Conuentus illius acta legatorum suorum præsentia fuerint confirmata) aduersarijs animos addidisse, vt nihil sibi non audendum arbitrarentur.

Cum verò nuntiaretur, Maximilianum electionis decretum, conditionesq; ab Oratoribus Polonis allatas nondũ accepisse, verùm differre, donec qoddam à Batoreo responsum ferret; adeò perturbatus est Vincentius, vt facere non potuerit, quin cũ Tor-

cellano Episcopo, qui eo tempore Sedis Apostolicę Nuntium apud Maximilianum agebat, per litteras cum ipso quoq; Maximiliano communicandas expostularet. Batorei responsum expectandum ducitis, vt, sit ne vobis Regnum capessendum, postea consulatis. An non satis perspicuum est, Batoreum & tanquam rerum magnarum cupidum hominem, & tanquàm Turcarum clientem, vt regnum obtineat, omnia curaturum? quàm vos sæpè Regnum primò occupanti esse obuenturum admonitos volui? Rem, vt facitis, differte, & procrastinate. vires augendi, &, si opus fuerit, auxilia è Turcis habendi aduersario tempus date. hæc quippè Regni amittendi, perdendiq; vna prorsus est via. Num vobis in eo consilio cunctandū ducitis, quod nisi peractum laudari non potest? Approperādum omnino, vt Regnum sine periculo, & sine cęde acquiri, Turcisq; inuadendi occasio adimi queat. A nobis constanter sanè stant maximè strenui, primarijq; Poloniæ Duces, Laschius, nec non Podolię Palatinus, vnaq; Secignoschius, sed quid hi Cæsaris auxilio, pręsentiaq; destituti assequi poterunt? Eia igitur vobiscum tandem serio agite. Sin minus omnia è vestigio in peius mutata videbimus. omnes enim tantò magis ad aliorum partes confluent, quanto magis verentur, ne Batorei loco à vobis Turcæ ingenti primum huius Reipublicæ (quod Deus auertat) deinde vestri, qui viciniores

niores estis, postremò reliqui Christiani orbis pernicie in Regnum hoc introducantur. His Vincentius incitamentis Maximilianum ad sedulò vrgendam prouinciam impellere conatus est. quibus tamē (quod quidem permirum fuit) Maximiliani animus commoueri minimè potuit.

Hinc aduersarij audaciores facti, viribus quotidie maioribus augentur. Anna infans illicò Varsouia Cracouiam tendit. Batoreus sine vllo impedimento, vel commodè etiam Regnum ingressus Cracouiā venit. illic cum Anna infante Regni insignia accipit, & matrimonij solemnia obit. statæ cerimoniæ à Cuiauiensi Antistite ob Primatis absentiam; assistentibus Prismiliensi, & Chelmensi Episcopis, conficiuntur.

Tunc magnoperè timendum videbatur, ne teterrimum, funestumq; Ciuile bellum in Polonia susci-taretur. in id igitur Vincentius omni cogitatione, curaq; incumbere, vt ineundæ concordiæ modus aliquis proponeretur. quod non solum Oratoribus Cęsareis Varsouiæ demonstrauit, sed ad ipsum quoq; Maximilianum Cæsarem quàm diligentissimè perscripsit. summa concordiæ propositæ à Vincentio erat, vt quandoquidem Maximiliani Cæsaris, Ernestiq; filij nomen apud plerosq; Polonos, qui vtrumq; læserant, haud quaquam gratum dignoscebatur, ad Matthiam ipsius Maximiliani filiū natu minorem

animus intenderetur. E dignitate siquidem tum Maximiliani Cæsaris, tum Annæ infantis, Transyluaniq; Principis futurum esse videbatur, si Archidux Matthias vxorem duceret Regis Suetiæ filiam, ea tamen lege, vt puella etiam tum declararetur hæres & Reginæ Suetiæ matris, & Annæ materteræ in bonis omnibus, quæ in Regno Neapolitano, & Ducatu Brunsuicensi vtrisq; obueniebant. Ad hæc vero recuperãda Maximilianus authoritatem suam ita interponeret, vt ex iis Anna, quoad viueret, fructus capere posset. Porrò Matthias, quem optima, præstantissima, vereq; regia indole præditum esse compererant; in Polonia simul cum vxore apud Annã educaretur: vbi linguam Polonicam addiscere, & adhuc tenerum animum Polonorum moribus, institutisq; imbuere posset. hinc quippè fieret, vt & ipse Iagellonico sanguine ortus, & Casimiri tertij Polonorũ Regis abnepos vetustissimum illud Iagellonum genus tàm benè de Poloniæ Regno meritum vnà cum vxore veluti ad vitam reuocaret. Quòd si olim Poloniæ ordines sub Ludouico Heduigim, sub Iagellone Vladislaum hæredes declararunt, ac postremò sub Sigismundo primo Sigismundũ Augustum non modo hęredem constituere, sed Regno etiam viuente patre inaugurare voluerunt, in rem multò magis futurum, si sub Anna, & Batoreo regnantibus Archiducem Matthiam Regni successorem renuntia-

rent,

rent, & corona quoq; regia insignirent. Etenim Princeps ille nondum decimum octauum ætatis annum agens, vt lingua, vita, & moribus breui futurus esset Polonus, ita cunctas imminentis belli ciuilis causas præcidisset, & cum maximo totius Christianæ Reipublicę commodo veram amplissimo illi, ac nobilissimo Regno pacem, & tranquillitatem attulisset. Non parui videbatur momenti, quòd eum Poloni nullo vnquam modo læserant, immo dum in ipso ætatis flore summis, ac maximis beneficijs; nempè dignitate regia ornarent, magnopere sibi deuincirent. huiuscemodi certè via Maximilianus cum sui nominis existimatione, ac dignitate ius suum Regno cõcedere potuisset; ac nõ solũ Lituanos, & Prussos ad concordiam inducere, verùm etiam Moscum à cunctis belli rationibus amouere. quò autem in posterum omnia (quoad fieri posset) tollerentur impedimenta, statuendum, ne, si Anna extremum diem obijsset, Bathoreus aliam vxorem duceret, nec contra, si is viuis decessisset, illa alteri nuberet. De Matthia verò, & Sueca coniuge, si illa maritum morte anteisset, ille alteri, quàm è Reginæ Annæ voluntate, matrimonio ne iungeretur. At si Matthias ante extremum vitæ diem morte confecisset, Sueca Princeps Archiduci Maximiliano & ipsi Cæsaris filio nuptui traderetur. Posse quidem omnia ita constitui, & priuilegiorum, quæ ad Regni immunitatem,

 liber-

libertatemq; ſpectabunt, habita ratio videretur. De Turcarum Imperatore deniq; non timẽdum, quin ob huiuſmodi concordiam metu ad pacem cum Republica firmandam adducatur.

Hęc dum à Vincentio proponerentur, Batoreus interea progredi nõ ceſſauit. expugnata enim Lanſcoronæ arce, ſicq; maioribus præſidijs munita Cracouia, iter Varſouiam verſus dirigit. Varſouia primaria eſt Maſſouiæ vrbs in omnium ferè Regni Prouinciarum medio ſita, atq; adeò commoda, vt ſi quando de rebus publicis ſit conſultandum, omnium fermè Comitiorum, Conuentuumq; quaſi campus exiſtat. Eò confeſtim perrexit Batoreus, non modò vt Maſſouiam ſibi deditam confirmaret, verùm etiam vt Lituaniam, Pruſſiamq; ad ſuarum partium ſtudium pelliceret. At non illum Varſouię expectandum arbitratus eſt Vincentius, ne ipſum graui in Maximilianum præiudicio Regem ſalutare, atq; agnoſcere cogeretur. nam quamuis (quod Oratores quoq; Cæſarei opinabantur) ſi ſemel agere cum Batoreo commodè potuiſſet, facilè cum eo concordiæ negotium tranſegiſſet; non tamen, niſi ad id prius à Maximiliano facultas haberetur, tentandum exiſtimauit; ne à mandatis, quæ ſibi Summus Pontifex pro Maximiliani cauſa dederat, vel tranſuerſum quidem vnguem diſceſſiſſe ab vllo vnquam argui poſſet. Inde igitur ſe ſe Lo-

uicium, quo in loco Archiepiſcopus Gneſnenſis degere ſolebat, vnius diei itinere contulit. illuc ſtatim Batoreus Tencini Comitem Caſtellanum Voinicenſem, nec non Herburtum Sanocenſem Caſtellanum mittit, qui Vincentium ad ipſum, tanquàm Regem, conueniendum, agnoſcendumq; inducerent: ſin minus, ei, ne in Regno commoraretur, enuntiarent. Ijs reſpondens Vincentius oſtendere non deſtitit, nihil à ſe poſſe, aut debere comitti, quod Maximiliani Cæſaris iuri aduerſaretur, repugnaretue. Conſtare enim Cæſarem prius Lituanis, Pruſſisq; omnibus, itemq; Senatus maiori parte, pluribusq; ex nobilitate aſſentientibus fuiſſe electum. Nec obſtare, quòd Tranſyluanus celeritate Maximilianum præuenerit, Regnoq; à ſuis fuerit inauguratus. nam nondum compertum, vter omnium ordinum authoritate approbandus foret. A Summo itaque Pontifice, eiusq; Nuntio Tranſyluanum vti Regem haberi non poſſe, ne manifeſta Cæſari iniuria inferretur: quin conuenire, vt Pontifex, poſtquam Maximilianum pro Regni Poloniæ, vel vniuerſæ etiam Chriſtianę Reipublicæ incolumitate debitis, honeſtisq; rationibus eligendum curauerat; electionem itidem legitimè factam tueretur, donec aliter fuiſſet ab Ordinibus omnibus declaratum. Sibi quidem nihil magis in animo vnquam fuiſſe, quàm vt publicæ paci,

tran-

tranquillitatiq; atq; vnà Religionis Catholicæ in Polonia conſeruationi conſuleretur. Neque verò alicui ideò ſuſpectum eſſe debere, quod Maximiliani iuſtam cauſam defendiſſet; deniq; ſi (quod maiorem in modum doleret) Tranſyluaniæ Princeps falſam de ſe iniectam opinionem huiuſmodi pertinaciter retinuiſſet, non defuturum, quo minus Polonia cederet. Cum allatum eſſet, poſtridie manè Batoreum Louicij affuturum, vt ad Nuntij Apoſtolici colloquium, congreſſumq; perueniret, repentè Vincentius noctu diſceſſit, atq; alium in locum duo Polonicorum paſſuum millia proceſſit. Vnde poſtea Batorei mente melius perſpecta, & tùm publica ab illo fide accepta, tùm nobili quodam itineris comite adiuncto Vratislauiam extra Poloniç fines in Sileſię prouinciam eo animo profectus eſt, vt Summi illic Pontificis mandatis, quibus, quid facto opus eſſet, ſcire, poſſet; quemadmodum par erat, præſtolaretur. Vincentij certè ſuaſu Pontifex Maximus ad Maximiliani cauſam ſuſtinendam primò xxv. nummûm aureorum millia erogauit, deinde Ioãnem Cardinalem Moronum Sacri Collegij Decanum, rerum vſu, experientia, prudentiaq; præſtantiſſimum virum, ad Maximilianum ipſum legauit. Hunc Vincentius Vratislauia de rebus omnibus, & præcipuè de propoſitis concordiæ ineundæ conditionibus diligenter ad-

 monuit:

monuit: in omnibus deniq; adeò egregiam operam præſtitit, vt Maximilianus nequaquã ſibi, quemadmodum antea fortaſſis ob Henrici Galli electionem grauiter queſtus fuerat, verba data eſſe, ſed fide optimi, moreq; Romano ſecum Sedis Apoſtolicæ nomine actum fuiſſe, re vera intelligere potuerit. Sed vt plerunq; incerti, fallacesq; ſunt humanorum conſiliorum exitus, immaturus Maximiliani Cæſaris interitus, quo tempore ab ipſo Ratiſponæ Comitia celebrarentur, continuò ſpes, omnesq; rerum illarum actiones euertit.

Poſt Maximiliani obitum nihil magis Summo Pontifici expedire viſum eſt, quàm vt Vincentius in Poloniã reuerteretur, & Stephano Regi debita officia tribueret: quod & Rex ipſe efflagitarat. Ad Vincentium quidem litteras, quibus eum in Poloniam inuitabat, plenas humanitatis dederat. nam licet illum nunquã vidiſſet, vel etiam antea ob Maximiliani cauſam ſuſpectum habuiſſet, ſemper tamen admirandam tanti Viri ſapientiam plurimi faciendam cenſuit. Inter cæteros, qui Stephani, tanquam non legitimè electi, dominationem, authoritatemq; nollet agnoſcere, Gedanenſis Ciuitas erat, forſitan ad id etiam ab externis quibuſdam Principibus incitata. Gedanum ad oſtium Viſtulæ fluuij, qui mare Balticum influit, celeberrimum Europæ Emporium habetur. portus ibi ampliſſimus;

in quo

in quo nonnunquam amplius, quàm trecentæ onerariæ naues è diuersis orbis partibus appulsæ conspiciuntur. Ciues omnes mercatuæ operam dant. Rempublicam autem coniunctim, communiquè iure ita administrant, vt mores, immunitatesquè suas mordicus tueantur. Tunc ergò hos Stephanus Rex armis oppugnare aggressus est, ac per vim sibi ad priscam, solitamq; erga Reges Poloniç obedientiam præstandam, nec non tributum conferendum adegit.

Cum verò primùm Vincentius Stephanum Regem adijsset, duo illi potissimum inculcauit: quorum alterum erat, vt se se Religionis Catholicę acerrimum defensorem, propugnatoremq; re ipsa declararet; alterum, vt cum Rodulpho Maximiliani filio Romanorum Imperatore electo pacem, concordiam, amicitiamq; confirmaret. Hisce namq; rationibus & domesticas Regni Poloniæ res facilè compositum iri, & Turcis viam intercludi, ne reliquam Pannoniam occupare, aut in Trãsyluaniam irruere possent: quemadmodum planè non absque totius Christianæ Reipublicæ periculo timendum videbatur, si inter duos Principes illos bellum fuisset commotum. Dum autem Synodus Prouincialis, de qua pridem Summus Pontifex admonitus fuerat, Petricouię celebraretur, impetrauit Vincentius non solum vt iurisdictionis ecclesiasticę, quam

hære-

hæretici magnoperè impugnabant, debita conser-uandæ ratio haberetur, verùm etiam vt Tridentini Concilij decreta sine vlla exceptione reciperentur. Quod in primis Stanislaus Hosius Cardinalis Varmiensis, vir doctrina, pietate, morumq; sanctitate maximè clarus, qui tunc in vrbe erat, tātoperè apud Summum Pontificem commendauit, vt vnius Montis regalis Episcopi opera, atq; industria & religionem Catholicam propagatam, & Sedis Apostolicæ authoritatem plurimum in Poloniæ Regnō auctam fuisse sæpius affirmarit. Tantum omninò Rex Stephanus summæ Vincentij prudentiæ, integritatiq; tribuit, vt eum omnium consiliorum suorum participem faceret. omnia ei, quæ, vt Smolenschi, & Poloschi Palatinatus, nec non Liuoniæ partem Regno Poloniæ ademptam recuperaret, de bello Moschis inferendo cogitabat, & rationes, quibus, si daretur occasio, arma aduersus Turcas mouenda essent, aperuit. Nam si Summi Pontificis authoritate, quod Vincentij ipsius hortatu mirum in modum optabat, Philippo Hispaniarum Regi Catholico iungi amicitia sibi aliquandò contigisset, fore confidebat, vt breui orientale imperium è Turcarum Tyrannide eximeretur. Proinde si quando sese huiusmodi occasio obtulisset, rectà per Transyluaniam, Moldauiamq; validum exercitum Constantinopolim versus ducere, vrbemq; illam imperij ca-

rij caput expugnare animo agitabat; nimirum vt præ cœteris Turcarum immanitatem, ac perfidiam cognitam, perſpectamq; habebat, ita acerrimo eos odio proſequebatur; & quicquid ab ijs in Chriſtianos commiſſum eſſet, publicè, quo ad fieri poſſet, vindicare etiam atquè etiam expetebat. Quo verò tempore Vincentio Cracouiæ ſucceſſum fuit, Rex Leopoli in Ruſſię prouincia erat. Diſceſſurum itaq; Vincentium, quem alloqui plurimum deſiderabat, per nobilem quendam primarium inuiſit. omnia illi beneuolentiæ officia defert. pretioſiores inſuper pelles, zibellinos appellant, dono mittit. quod tamen donum Vincentius accipere recuſauit; quippe qui vnum tantum in lucro deputandum arbitraretur, ſi impoſitum ſibi onus è Sedis Apoſtolicę dignitate, ſacroſanctæq; Religionis Catholicę in Regno Poloniæ defenſione ſuſtinuiſſet. Profectò ego Regis ipſius litteras præ manibus habui; quibus nihil ſibi in omni vita optabilius, iucundiuſuè euėturum aſſerebat, quàm ſi pro tanto viro poſſet aliquandò egregiè laborare.

Cœterum è Poloniæ legatione Vincentius Romam venit, vt Summo Pontifici rerum omnium, quas geſſerat, rationem exponeret. Dum autem ad Montisregalis Eccleſiam ſuam cogitaret, eum Pontifex in Vrbe detinuit, ac congregationi; quę ob faſtorum, anniquè correctionem, emendationemq;

fuera

fuerat instituta, prefecit. Siquidem Catholicę Romanæ Ecclesię dignitati tuendę, nec nõ totius Christianæ Reipublicæ commodo plurimum expedire compererat, vt quod olim Concilij Nicæni patres de festi Paschatis celebratione decreuerant, id certa quadam, constantiq; ratione vnà cum fastorum restitutione in posterum obseruaretur. huiusmodi planè arduum, ac difficile opus sæpius anteà tentatum erat. hoc enim in Concilio Constantiensi Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, homo diuinarum, humanarumq; rerum peritissimus, aggressus fuerat, atq; exindè Nicolaus Cusanus Cardinalis eruditissimus persequi studuerat. hoc quoq; postea in Concilio Lateranensi doctissimi alij, amplissimiq; viri licet diligénter, frustrà tamen curauerant. Etenim diuino consilio statutum erat, vt res tanta, & quæ tantoperè ad Catholicæ Ecclesiæ, & Christ. Reip. dignitatem conseruandam, amplificandamq; attinebat, vnius præcipuè Vincentij studio, cura, industriaq; ad Dei immortalis laudem, perpetuamq; Gregorij xiij. Pontificis Max. gloriam intrà paucos dies perficeretur, atq; in tabulas publicas relata vniuersò Christiano populo obseruanda proponeretur.

Sed en repentè, mortuo Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, noua rursus Vincentio graues pro Dei Ecclesia extra Vrbem perferendi labores offer

tur

tur occasio. Summus namq; Pontifex; qui ob huiusmodi Principis immaturum interitum posse in Cisalpinis regionibus inter Galliç, Hispaniçq; Reges bellum excitari timebat; illum ad Carolum Emanuelem, Philiberti filium, eo animo legauit, vt pacem, concordiamq; seruandam curaret. Erat tùm Carolus Emanuel adhuc puber, verùm qui singulari ingenio, atq; animi magnitudine ætatem longè superaret. Belli ansam dare videbatur munitissima arx Carmagnolæ. Hac primùm vnà cum Salutiarum tota ditione Bellagardæ Marescialllus, Carolo Birago inde deiecto, potitus fuerat. post Bellagardç autem obitum Philibertus Dux, ne fortassis à vicinis hæreticis occuparetur, militum suorum præsidio tenuerat. Postremò, Philiberto ipso vita functo, statim Gallorum Rex sibi restitui petit; & Gondium Retzij Mareschallum, qui negotium cum Carolo Emanuele Duce ageret, in Italiam mittit. Tunc Vincentius Summi Pontificis nomine Ducem hortari, vt cum rerum suarum, tùm totius Italiæ securitati consuleret. Carmagnolæ negotium magna cum prudentia tractandum, si restituendam decerneret, ità transigeret, vt non metu adactus, sed recto consilio ductus videretur: è restitutione demùm sibi aliquid commodi compararet. sin verò retinendam putaret, vires suas diligenter metiretur, animaduerteretq; ad imminen

tes Gallorum impetus propulsandos sibi Summi Pontificis, Hispaniarumq; Regis subsidio opus esse. Dux se omninò retenturam sæpius asseuerauerat; ad id etiam Pontificis rogata sententia. Sed vt iuniorum Principum animi in consultando facilè in contrarias partes distrahuntur, subitò nonnullorum opera, qui apud eum plurimùm poterant, non solum Carmagnolam restituit, verùm etiam Centallum, quem locum Anselmus Auinionensis Bellagardæ alumnus firmissimis præsidijs dudùm muniuerat, Gondio dedendum curauit. qui restitutionem Duci persuaserant, fore aiebant, vt vna huiusmodi ratione sibi Galliarum Regem deuinciens, ad Geneuæ expugnationem animum posset aliquandò intendere: Gallos enim illi non solum impedimento non futuros, sed & auxilium allaturos. quin de re tota ab ipso Gódio libellos obsignatos constat. Non mirum sanè Ducem, qua pietate, ac quo Religionis Catholicę studio ardebat, iniecta sibi expugnandæ Geneuæ spe, adduci potuisse, vt cum Gondio nullam aliam proprij commodi rationem iniret. At paulò post, quodnam sanius cósilium fuerit, facilè cognoscere potuit. nam cum ad Geneuam arma mouisset, Rex Galliarum tàm acerbè in ipsum inuectus est, vt primo quoq; tempore exercitum ab Vrbis illius obsidione reuocare necesse fuerit.

Iam verò de vxore à Carolo Emanuele ducenda agi cæptum. alij aliam: quidam etiam Vandomam Henrici Nauarræ Regis sororem proponũt: quæ licet hæretica esset, se se tamen ad pium mariti viuendi institutum transferret. Pro dote non solum Vandomi Comitatum cessurum, sed & ei forsan Regni Nauarrę titulum aliquãdò accessurum. Hanc continuò Vincentius acriter improbare. Duci ostendere, nullo modo Principem Catholicum mulierem in matrimonio habere debere, quæ hæresis veneno infecta, alios quoq; inficere proculdubio studuisset. Pro comperto haberet, virus huiusmodi, quod mulier ab vberibus hausisset, posse fortassis ad tempus intra pectoris arcana cælari, non tamen deponi. immò quò diutius collectum, atq; inueteratum fuisset, eò magis mortiferum ad regionum illarum perniciem postmodum erupturum. An non in Gallia mulieres hæreticas plurimorum præstantium hominum mentes ad impietatem induxisse? Vllasnè vnquã dignitatis, aut concordię plenas cum hęretica nuptias futuras esse? quotquot demùm de Vandoma sibi mentionem fecissent, hos pessimos, infidosq; consultores habendos. Si splendidissimã, ornatissimam, vereq; regiam vxorem ducere cuperet, ad vnam Hispaniarum Regis filiam animum aduerteret. Illam non piè modò, sed & religiosè eductam pręclarissimum

pudoris, prudentiæ, aliarumq; virtutum omnium specimen allaturam. Ergò Carolus Emanuel quemadmodum nihil antiquius habebat, quàm vt Religionis Catholicæ rebus in ditione sua optimè prospiceret, sic ei persuaderi quàm facillimè potuit, vt & à propositis Vandomæ nuptijs abhorreret, & Catherinā Regis Catholici filiam sibi matrimonio iungi maiorē in modū expeteret. Interea Gregorius Pontifex Max. Sacrum Collegiū auctu rus, vnà cum decē & octo alijs præstātissimis viris, quasi clarissimis Ecclesiæ luminibus, ipsum quoq; Vincentiū Card. creauit; ac quanti singulares, & illustres virtutes eius penderet, apertissimè demonstrauit. Vincētius itaq; Card. declaratus, Montisregalis ab Ecclesia sua, quā semper studiosissimè coluerat, voluit nuncupari. sacrum de more pileum à Pontifice transmissum Taurini ipsiusmet Caroli Emanuelis Ducis manu accepit. Ingens inde omnium in illa prouincia applausus, ingensq; lætitia subsecuta. nihil enim tam arduum, tamuè sublime videbatur, quod non ab eo expectandum esset. incredibilem prope modum quandam animi moderationem præ se tulit. nam huiusmodi dignitatis accessionem eò in primis æstimandam arbitrabatur, quò maior sibi pro Dei Ecclesia, Christianæq; Reipublicæ commodo insudandi facultas accessisset. Deniq; omnia, quæ sibi fausta, fœliciaq; eue-

nissent, ad vsum, vtilitatemq; publicam referebat. Iam verò, quod omnes bonum, faustum, fœlix, fortunatumq; futurum ominabantur; Philippus Rex Catholicus Catherinam filiam natu minorem Carolo Emanueli Duci desponderat: cumq; iam Dux ad celebrandas nuptias in Hispaniam proficisceretur, se se Cardinalis eo animo Montem regalem recepit, vt post Ducis vnà cum sponsa in Italiam aduentum primo quoq; tempore Romam tenderet: vbi Summo Pontifici, cui se tantùm debere profitebatur, præsens non modò verbis, verùm etiam fronte, atq; (vt aiunt) oculis meritam gratiam persolueret.

Hæc cogitanti inopinatus, atq; acerbus de Pontificis interitu affertur nuntius; quo tàm vehementer contristatus est, vt cum ego ad illum Taurino magnis itineribus aduolassem, vrgeremq;, vt quàm primùm Romam ad electionis Comitia properaret, contineri non potuerit, quin vel profusis lacrymis occasionem, quæ optimè de se merito Pontifici gratum se præberet, ereptam etiam atq; etiam lamentaretur. Tùm Sauonæ triremē prætoriam Ianuensis Senatus paratā cōscendimus, ac tàm prosperè nauigauimus, vt biduo Telamonē peruenerimus. Postridie solēnis dies festus, quo Saluator noster è mortuis resurrexit, celebrabatur. Cùm igitur è triremi descendisset Cardinalis, nihil magis ad se

perti-

pertinere existimauit, quàm vt sacrum faceret, suosq; cœlesti Eucharistiæ cibo reficeret. Sed en protinus è promontorio Argentario nouem Mauritanorum piratarũ celoces egressæ duas onerarias naues mercibus onustas, nobisinet ipsis Telamone spectantibus, aggrediuntur, oppugnant, & capiũt. Nos quidem, quo tempore piratæ in altum vsq; ad Iginium insulam progresi naues insectabantur, facilè remorum vi Argentarium prætergredi, tutoq; ad portum Herculis, vel ad Centumcellas cursum dirigere potuissemus. verùm Georgius Centurionus triremis Prĉfectus, vir æquè prudẽtia, atq; animi fortitudine præstans, nequaquam Cardinalem periculo committendum duxit. posse enim timeri aiebat, ne piratæ, relicta nauium oppugnatione, ad vnam triremem debellandam vires, neruosq; omnes intenderent. Sic igitur Telamone nauigationem intermittere, ac reliquũ itineris terra peragere coacti fuimus: planè qui Cardinali comitabamur, omnes tantum temporis spatium interponi, & nobis quasi aditum ad Comitia intercludi vehementer dolebamus. vnus tamen Cardinalis minimè dolendum, sed in diuinam voluntatem omnia referenda existimãs, inquit: Nos, quid magis expediret, ignorare. iam à Deo in cœlis, qui vices suas in terris gereret, constitutũ esse. Dum autem in castro Inui, vulgò Cornetũ vocant, pran

si es-

ſi eſſemus, accidit, vt quidam gregarij milites, qui nobiſcum Montalto venerant, vino forſitan acti tumultum concitarint. quamobrem oppidani, ira incitati, ſtatim arma conclamāt, vnuſq; è Montaltenſibus in ipſa portæ ſtatione graui vulnere conficitur. Ingens periculum imminebat, ne ſanguinis magna effuſio fieret. Tunc licet pilæ plumbeæ bellicis tormentis emiſſæ hinc, atq; hinc horrendo ſonitu volitarent, Cardinalis tamen, quo pietatis ardore flagrabat, ſibi minimè potuit temperare, quin lectica, qua ferebatur, deſcenderet, & modò hos, modò illos alloqueretur: nec ceſſauit, donec pacatos redderet, atq; ad pacem inter ſe conciliandam perſuaderet. poſtridie manè ad Alſiū cū perueniſſemus, occurrit nuntius, à quo Fęlicem Perettū Cardinalem Montaltum Summū Pontificem creatum eſſe, ac Sixti Quinti nomen ſumpſiſſe intelleximus. Hoc audito; Cardinalis ingentes Deo immortali gratias agere. Conſtabat.n.eū Pontificem Max. renuntiatum fuiſſe, à quo excelſa omnia pro Dei Eccleſia magis magiſq; in dies ornanda, atque honeſtanda expectari deberent.

Poſt primum priuatim à Sixto Quinto habitū Conciſtorium Vincentio Cardinali ſacrum galerum rubeum publicè ſolemni ritu defertur. At, quæ Vincentius in Cardinalatu geſsit, ſingillatim enarrare longum eſſet. quibus certè aliorum Cardina-

lium

lium congregationibus interfuit, in ijs nihil magis curæ habuit, quàm vt rogatus apertè, sincereq; sententiam diceret. quam quidem in dicendo libertatem licet quandoq; nó omnes probarent, núquam tamen ipse deponere voluit; vtpotè qui Deo, & cóscientiæ, quàm hominibus satisfacere mallet; quiquè nihil præter quàm quod iustum, honestumq; esset, respiciendú putaret. in dando consilio fidelissimus semper extitit. Si quæ sibi separatim negotia committerentur, tanta animi contétione, tantoq; studio persequi solebat, vt nec dies, nec noctes quiesceret, donec ad finem optatum perducerentur. vix .n. in cuiuspiam cogitationem cadere posset, quàm vigil, quàm solers, quàm ardens rerum sibi demandatarum transactor fuerit.

Vnum hoc loco non videtur silentio prætereundum, quod cum Sixti Pontificis iussu Regni Scotiæ, atq; in primis Reginæ Mariæ res in Vrbe protegendi munus suscepisset, accidit, vt infelix Regina pridie, quàm securi in Anglia feriretur, supremas tabulas Gallica lingua, manuq; propria conficeret: quibus primò se Religionis Catholicę studiosissimam semper fuisse professa est; deinde cauit, ne ad filium Principem, si falsam hæresis, quam animo imbiberat, persuasionem non exuisset, Anglici Regni hæreditas vllo vnquam tempore perueniret: sed loco sui ad Philippum Hispa-

niarum

niarum Regem Catholicum pertineret. hasce tabulas cum Vincentius Cardinalis accepisset, mira diligentia recognoscendas curauit, vt ad Reginæ vltimam voluntatem aperiendam, fidemq; faciendam sufficerent. nam & cum litteris ab eadem Regina prius acceptis contulit, & non à se solùm, verùm etiam à Ludouico Audoeno Anglo Episcopo Cassanési, pio, & integerrimo homine, voluit subsignari. sicq; firmatas, ac tanquàm publica authoritate roboratas Comiti Oliuario, Hispaniarum Regis Oratori, ad ipsumet Regem fideliter transmittendas dedit.

Cùm autem post illatam Henrico Tertio Gallorum Regi necem Lucemburgius Dux è Gallia in Vrbem à Regij sanguinis Principibus missus venisset, vt de altero in Regis demortui locum sufficiendo consultaret, nemo ex sacro Collegio liberius, quàm Vincentius Cardinalis Lucemburgiũ ipsum est allocutus. Siquidem nullo prorsus modo, nullaq; ratione rebus Gallicis prospici posse asserebat, nisi Regi verè Catholico commendarentur. Hæretico planè, cui Regni ipsius leges officerent, minimè cõmittendas: sed nec hæretico homini, quãuis fortasse iureiurando se se Religionem Catholicam defensurum esse polliceretur, fidem haberi debere: quin nec ipsum hæreticum iureiurando huiusmodi teneri, cui è tribus necessarijs conditioni-

bus, veritate nimirum, iudicio, & iustitia, duæ deesse compererentur, veritas scilicet, ac iustitia. qui enim hæreticus esset, solamq; Caluini sectam Religionem verè existere sibi persuasum haberet, quonam modo Religionem Catholicam, quam falsam arbitraretur, iureiurando confirmaret? Si verò Religionem, quam falsam existimaret, confirmasset, an non iniustam causam secundum Caluini sectam defenderet? proinde nequaquam mirandum, si cautiùs à Summo Pontifice de re tanta ageretur. vt enim quispiam re vera catholicus habeatur, diligentissimè considerandum quonam modo sensus, vitæq; institutum ad certam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ normam dirigere solitus sit. An non Georgij illius Pogibratij, qui Boemię Rex declaratus, nefaria Hussitarum hæresi infectus, tot, tamquè grauia Christianę Reipublicæ incommoda attulit; recens exemplum ante oculos obuersari?

Cum autem Sixtus Quintus è vita migrasset, in gentem sui expectationem Vincentius Card. excitauerat: facileq; sustinuisset (quatenus quidē humani cōsilij cōiectura assequi possumus) nisi in Comitiorum illorum celebratione; in quibus Ioannes Baptista Castaneus Romanus fuit creatus Pontifex, Vrbanusq; vij. nuncupatus; ab ijs, quorum præsidio in primis niti debebat, oppugnatus fuisset. Sed cùm Vrbanus, antequàm inauguraretur, diem suum

 obijs-

obijsset,& rursus ad noui Pontificis electionem de ueniendum esset; tunc, qui prius Vincentio aduersati fuerant, non, vt antea, clandestinis consilijs, verùm apertè,& palàm in ipsum inuecti sunt. Ex his nonnulli fuere,qui plurimùm illi debebant, & qui eum ob præstantissimas animi sui dotes Summo Pōtificatu dignissimum arbitrabantur: sed,vt Hispaniarum Regis administris morem gererent, vel contra propriam sententiam inuiti veniebant. Hispani oppugnationis titulum pręferebant,quòd Vincentius in Gallijs apud Antonium Vandomū, Henrici Nauarræ Regis parentem, fuisset. quasi tunc temporis in Gallia, ac postmodum vbiq; locorum non se Regis Catholici, & vniuersę Austriacæ domus re vera singulis quibusque occasionibus studiosissimum declarasset. sed, vt insignes plerūq; virtutes vitiosa æmulatio insectatur, euitare non poterat Vincentius, quin aliquorum inuidia acerrimè premeretur: ex quibus etiā vnus ab ipso olim non mediocri honore, beneficioq; affectus tàm toruis oculis prosperos eius successus intuebatur, vt, quò maius ei apud Hispanos odium conflaret, magna, impudentiaquè mendacia dicere non erubuerit. haudquaquàm tamen effecit,quo minus plerię; calumniam agnoscentes ardentiori etiam studio Vincentium, tanquam optimum, sapientissimumq; Cardinalem, ad celsissimam dignitatis,

 hono-

honorisq; ſedē perducere elaborarent. Inter cæteros, qui eius virtutes fouēdas enixè ſuſceperāt, Alexander Perettus Cardin. Montaltus, Sixti Quinti ex ſorore nepos, tunc quidem admodum adoleſcens, ſed qui morum grauitate, & prudentia iam ætate prouectior videretur, miram propemodum conſtantiam præſetulit: quippe qui diuturnis illis Comitijs in quibus tandem poſt graues contentiones Gregorius xiiij. Pontifex renuntiatus fuit, nulla re à propoſito deterreri potuerit, ſed tàm diu in ſuſcepto conſilio permanſit, donec vel ipſius Vincentij hortatu adductus fuit, vt, quibus plurimum poterat, ſuorum ſuffragijs ad alium prouehendum ſe ſe conuerteret.

At quàm ęquo animo Vincentius ſe in Pontificis electione præteritum eſſe tulerit, vel vultu, ac frontè facilè demonſtrauit. quas certè offenſiones acceperat, has mira quadam hilaritate, ſuauitateq; ita condiebat, vt ne minimùm quidem videretur commotus ſemper enim ſibi perſuaſit, animis ingenuis nihil, præter culpam, pertimeſcendum accidere poſſe: illatas verò iniurias tùm voluntaria obliuione conterendas, tùm Deo immortali remittendas, & condonandas. Admirantibus quibuſdam hominem; qui tanta, tamquam præclara facinora pro Domo Auſtriaca geſſiſſet; Philippi Regis Auſtriacorum Principum potentiſſimi nomi-

ne

ne impugnari: non admirandum, inquit: nam & Alcibiadem olim propterea accuſatũ fuiſſe, quòd Mercurij ſtatuam deieciſſet, cuius tamen ſemper ſtudioſiſſimus extitiſſet, & cui quotidie ſacrificaſſet. A ſe nullam vnquam Regem, ſuoſuè offenſæ occaſionem habuiſſe, è rectè geſtorum conſcientia optimè noſſe, contrà autẽ ſe certò ſcire, eam Regis pietatem, moderationem, æquitatemq; eſſe, vt illi incõmodum acceptum referre nec poſſet, nec deberet. Ad id ſe quidem perpetuò animatum fore, vt, quod optimo Regi, à quo pridem mille nummûm aureorum annua penſione donatus fuerat, perſoluere non poſſet, grata vſq; ad extremum halitũ memoria proſequeretur. Adminiſtros quoq; in quo ipſum indignè accuſauerant, excuſandos. quæ in ipſum commiſerint, non ſponte, ſed inuidorũ, obtrectatorumq; opera admiſiſſe. humano deniq; ingenio attribuẽdũ, vt ſiquis fortè amicũ læſerit, ab hoc poſteà fortunæ modum exigere velit.

Porrò quidam ex animo ſuo aliorum animum ſpectare ſoliti, Vincentium, tanquam hominem callidum, verſutum, & à quo fronte ſententia occultaretur, incuſare non deſtiterunt. cum enim natura, atq; ingenio ita eſſet affectus, vt nihil non perfectum, aut elaboratum induſtria agere videretur, immo accuratè, exquiſiteq; omnia tractaret, ſingularem deniq; in rebus omnibus munditiam, elegãtiamq;

tiamq; adhiberet, hoc maleuoli non solùm in illo, vt par erat, non commendabant, sed & vitio vertebant. qui verò cum eo familiarius vixerunt, asseueranter, iustoq; sacramento cõtendere possunt, neminem ipso magis ingenuum, magisuè sincerum, & qui magis animum in fronte gereret, posse excogitari. neq; enim quisquam ex tot nationum hominibus, quibuscum illi vsus, aut negotium vllum fuisset, inueniri poterit, qui ab eo aut dictis, aut factis vnquàm deceptus fuerit. Simplicis siquidem veritatis perpetuò amicus, cultorq; extitit; fraudis, mendacijq; inimicus.

Corporis quoq; formam, staturamq; Vincentio nonnulli paruam, nec valdè egregiam esse obijciebant: quam tamen ipse excellenti quadam morum specie decorauit, vt & ad dignitatem apposita, & tanquam speculum, certam honesti faciem exprimere videretur. fertur olim Ioannes Casa, eruditissimus ille, ornatissimusq; vir, qui de moribus ad aulicos homines scripsit, priusquàm libellum ederet, ab ipso Vincentio, quem idem aulicorum ferè omnium elegantissimum appellabat, plurima excerpsisse. non satis certè eum commendandum sæpius dixit; qui, si quod sibi impedimentum natura impositum esset, admirabili illud industria superasset. Quamuis autem Vincentio gracilitas corporis esset, affuit tamen robur ad vigilias, libera-

lesq; labores sustinendos firmissimum. Vix quispiã crederet, quàm parcè somno vteretur. Accidit sæpè, dum iter vnà faceremus, vt, licet ne horam quidem decubuisset, statim tamen è lectulo surgere, atq; in equis esse voluerit.

Non defuerunt etiam, qui Vincentium improbandum ducerent, quòd interdum amicis conuiuia nimis lauta, nimisq; splendida præberet. Sed cur non sit potius laudandus, si, vt in amandis amicis modum non habebat, ita, quò maiorem illis honorem tribueret, vel excedendum quandoq; arbitraretur? Amicorum sanè conuictu tãtopere oblectabatur, vt illis accumbentibus vix perpauculum cibum caperet, ac se se eorum præsentia, tanquam esca conquisitissima, pasceret. Vnum semper effecit, vt nunquam mensam sine sacra aliqua lectione extrui vellet. quin & ipsemet plerumq; plura disserere solitus fuit; ex quibus doctrinæ, pietatisq; suæ vberrimi, & lectissimi fructus decerpebantur. Recordor cum Carolus Cardinalis Borromeus clarissimum illud sanctitatis, religionisq; lumen paucis diebus antequam Deo animam redderet, Taurinum venisset, eumq; Vincentius ad prandium inuitasset, inter nos consultatum fuisse, num frugaliter, vel lautius potius excipi deberet, tuncquè Vincentium dixisse: imò quò maior nobis, sanctiorq; hospes futurus est, eò etiam maiori apparatu, cul-

tuq; apud nos tractandus erit. Sic igitur mensam elegantius, & sumptuosius, quàm vllo antea tempore solitus fuerat, voluit apparari: cui accumbens Borromeus omnia, tanquàm bono, atq; amico animo apposita, boni consuluit. Neq; verò Vincentius se tantummodò erga amicos, hospitesq; magnificentissimè gessit, sed & ergà domesticos suos liberalissimus, munificentissimusq; semper fuit. quin nec vllus vnquam prudens, attentusuè pater familiàs magis liberorum commodis inseruiuit, quam Vincentius ipse familiaribus suis vsui esse cótendit. id in me præter cœteros cumulatissimè est assecutus. nam quò animi sui magnitudini responderet, me nobilissimo illo Pinaroliési Sacerdotio, quod sibi paulò ante à Sixto Quinto Summo Pontifice delatum erat, ac cui semper primarij, principesq; homines præfuerant, cohonestatum esse voluit. omnibus certè & viuens, & moriens charitatis, vereq; paterni amoris officium præstitit.

At excelsa, diuinaq; propemodùm animi sui bona non tàm ex ijs, quæ in vita præclarissimè gessit, quàm ex ipsius vitæ fine vidmus elucere. nam, quò quis benè, & cum virtutis laude vixisse dicatur; vt is quoq; benè, & cum laude moriatur, necesse est. sed & tanti mors honesta fieri debet, vt vitæ anteactæ certissimum ornamentum existat. septuagesimum ætatis annum agebat Vincentius, cum in morbum

morti-

mortiferum incidit. Tùm nullam sibi medicinam magis salutarem adhiberi posse existimauit, quàm si animam sacra cõfessione expiatam sacratissimo, cęlestiq; Eucharistiæ cibo recrearet. Quò autẽ diuinum illud ad supernam patriam tenendam viaticum debita cum reuerentia sumeret, licet iam acri vi morbi consumptus, ac ferè exanimatus esset, à medicis tamen persuaderi non potuit, quo minus è lectulo surgeret, vestibusq; solitis, quibus è Cardinalis gradu vtebatur, indutus in proximum familiare sacellum non semel, sed bis incederet: vbi ad altare genibus nixus, priusquàm è Sacerdotis manibus Sacramentum acciperet, Deum in precibus tanto animi ardore est veneratus, vt iam non in terris degere, sed inter cœlestes spiritus translatus videretur. Vrgentibus primò medicis, vt in cubiculo, in quo decumbebat, aut saltem in proximiore conclaui, in quo scabellum, puluinarq; stratum erat, Sacerdoti Eucharistiæ Sacramentum allaturo præstolaretur: An nescitis inquit subridens, nobis è mundo discessuris Deo esse quàm proximè accedendũ? quanta corporis debilitate conficiar, non ignoro: confido tamen, animum valentem, qui morbo tentari nõ potest, ad supremum hoc meum erga Deum munus exequendum subsidio futurum esse.

Vna illi rerum humanarum supererat cura, for

tunarum scilicet, quibus honoris causa cohonesta tus fuerat, distributio. Hac vt se expediret, testamentum cõdidit; quo hæredes scripsit Religiosos in Vrbe homines (vulgò infirmorum Ministri appellantur) qui voto solemni obstricti ægrotis, vel pestilentia laborantibus operam dant. vt enim illos pridem in fidem acceperat, primumq; eorum institutum à Sixto Quinto, nec non à Gregorio xiiij. Summis Pontificibus procurauerat approbandum; ita eosdem quoque quasi alumnos proprios extremis tabulis voluit subleuare. Sed & quãti Patrum Sodalitatis Iesu, quibus semper familiarissimè fuerat vsus, pietatem, doctrinam, cæterasq; virtutes fecerit, apertissimè declarauit. Eorum enim Romano Collegio, quod Gregorius xiij. Pontifex Max. erexerat, bibliothecam, non mediocri impensa congestam, legauit, addidit insuper Deiparę Virginis collachrymantis signum, cuius cultu plurimũ oblectabatur, ab Alberto Durero celeberrimo illo Pictore olim adeò affabrè, tantoq; artificio pictum, vt & veras lachrymas profundere, & inspicientium animos ad ipsam in cęlis Regnãtem Virginem traducere videretur. quod tamen postea Clemens viij. qui in præsenti Summo totius Christianę Reipublicę commodo Christi vices in terris gerit, sibi à Patribus concedi petijt. Reliquam verò suppellectilem, multam illam

quidem

quidem, & magnificam, quanti ea foret, licere, pretiumq; inter domesticos è cuiuscumq; conditione, & statu, diuidendum mandauit. Quorundam amicorum, quos maximè charos habuerat, memoriam tenuit, annua singulis pensione ascripta. Quàm parui autem cognationem sanguinis faciendam duceret, satis superq; demonstrauit, cum sororis filię in vrbe Campaniensi pridem nuptæ, licet iam plures liberos procreasset, non alia tamen bona, quàm quæ sibi illic è Marci fratris hæreditate obuenerat, reliquerit. Euangelicum quippe illud, consanguineos videlicet eos in primis haberi debere, qui cœlestis parentis voluntati morem gererent, & antea vsurpare sæpius solitus fuerat, & ad extremum diligenter est persecutus. Deniq; corpus ad Diui Clemétis ædem, cui è Cardinalatus titulo præfuerat, absq; vlla pompa, verùm modico admodum funeris apparatu humari præcepit; dictato etiam Elogio, quod sepulchro incideretur, vel quod potius perpetuum modestiæ suæ simulachrum apud nos esset.

Hic iacet Vincentius Laureus tt. S. Clementis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Montisregalis nuncupatus.

Simul ac igitur Cardinalis se à cura, in qua pro

testamento faciendo versatus erat, liberauit, de ea tantum ratione,quæ ad piè mortem obeundam attinebat, meditari instituit. Amicis, quotquot admittebantur, inuisentibus, bonoq; animo ipsum esse iubẽtibus: neq; enim desperandũ, quin diuina ope esset cõualiturus, Siuè viuimus, dixit, siuè morimur, Domini sumus. Claudius Aquauiua Sodalitatis Iesu Præpositus Generalis eius amãtissimus, vt nullum veri in eum amoris officium prętermitteret, per vnum è patribus illi tempus adesse nuntiauit, quo extremæ vnctionis Sacramento, vt potè aduersus mortem, atq; humani generis hostem validissimo præsidio armari deberet. quod Vincentius adeò gratum, acceptumq; habuit, vt ingentes illi gratias ageret. Tùm, oblato Christi Saluatoris in cruce pendentis signo, statim assurrexit; fixoq; oculorum obtutu sanctè illud veneratus. Indè cuidam ex assistentibus asserenti, Christus crucifixus est pro mundo, & ego, inquit, mundo. Sacerdoti verò extremæ vnctionis Sacramentum deferenti, sacrosq; de more versus pronuntianti, & ipse alternis respondit, cumq; fortè Sacerdos illud Vatis proferret: In Domum Domini ibimus: Atqui lætantes, Cardinalis ait, lætantes ibimus. etenim sibi animus re vera gaudebat, gestiebatq; iam ad mortalitatis calcem decurrisse, vndè postea, tanquam è carceribus emissus, ad immensa illa immorta-

mortalitatis ſpatia, ſedesq; pergeret. Nos, qui morienti aſſedimus, & nouiſſimis ſermonibus eius interfuimus, quàm conſtanter, libenterq; mortē exceperit, manifeſtò cõperire potuimus. Patres cértè Sodalitalis Ieſu, qui deficientē ſacris Deum precibus fouerunt, vehementer admirati ſunt, eundem, quaſi imperium in mortem teneret, mortem ipſam non ſolum æquiſſimo animo ſubijſſe, verùm etiam quodammodò contempſiſſe.

Sic ergò Vincentius, qui natus erat anno ſalutis 1523. quinto Kalen. Aprilis, exceſsit decimo ſeptimo Kalen. Ianuarij 1592. magnumq; ſui deſiderium non apud amicos ſolum, atq; illos, qui ingentia eius promerita cognita habebant, ſed apud cæteros quoq;, & ignotos reliquit. Auſim propemodum affirmare, nullius Cardinalis obitum è noſtrorum temporum memoria populo magis luctuoſum fuiſſe. At quamuis alijs Vincẽtij mors triſtis fuerit, nulli tamen magis, quàm mihi dolenda, lachrymandaq; accidere potuit.

FINIS.

Quomodo maculas delere oporteat.

QVisquis legis, errata sic corrigito: reliquorũ, si quæ fortè supersunt, nullã hîc rationem habendam duximus, cùm posſint vel à mediocriter erudito Lectore inter legendum facillimè caſtigari, nam exigua omnino sunt, atq; omnia in vniuersum ne tantillum quidem difficultatis in sententia parere poſſunt.

In epiſt. non longè à fine tenui. lege tenuis. pag. 3. Latrienſiq; Satrienſisq; ead. Condobettæ. Condoblettæ. 10. aſtantes Principes, dele vocem aſtantes. 14. firmandum. formandum. 24. eſſecutura. aſſecutura. 29. Betori. Beton. 31. quàm annuente. quam vt annuente. 33. Rogli Domina. Bogli. 34. clarum. charum. 39. pertimeſcere? pertimeſceret? 43. vniuersa. vniuersæ. 50. Lauſcoronæ. Lanſcoronæ. 56. & priuilegiorum. vt priuil. 57. Lauſcoronæ, Lanſcoronæ. 52. pererahi. pertrahi. 80. vidmus. vidimus.

tiamq; adhiberet, hoc maleuoli non ſolùm in illo, vt par erat, non commendabant, ſed & vitio vertebant. qui verò cum eo familiarius vixerunt, aſſeueranter, iuſtoq; ſacramento cõtendere poſſunt, neminem ipſo magis ingenuum, magiſuè ſincerum, & qui magis animum in fronte gereret, poſſe excogitari. neq; enim quiſquam ex tot nationum hominibus, quibuſcum illi vſus, aut negotium vllum fuiſſet, inueniri poterit, qui ab eo aut dictis, aut factis vnquàm deceptus fuerit. Simplicis ſiquidem veritatis perpetuò amicus, cultorq; extitit; fraudis, mendacijq; inimicus.

Corporis quoq; formam, ſtaturamq; Vincentio nonnulli paruam, nec valdè egregiam eſſe obijciebant: quam tamen ipſe excellenti quadam morum ſpecie decorauit; vt & ad dignitatem appoſita, & tanquam ſpeculum, certam honeſti faciem exprimere videretur. fertur olim Ioannes Caſa, eruditiſſimus ille, ornatiſſimusq; vir, qui de moribus ad aulicos homines ſcripſit, priuſquàm libellum ederet, ab ipſo Vincentio, quem idem aulicorum ferè omnium elegantiſſimum appellabat, plurima excerpſiſſe. non ſatis certè eum commendandum ſæpius dixit; qui, ſi quod ſibi impedimentum natura impoſitum eſſet, admirabili illud induſtria ſuperaſſet. Quamuis autem Vincentio gracilitas corporis eſſet, affuit tamen robur ad vigilias, libera-

lesq; labores sustinendos firmissimum. Vix quispiã crederet, quàm parcè somno vteretur. Accidit sæpè, dum iter vnà faceremus, vt, licet ne horam quidem decubuisset, statim tamen è lectulo surgere, atq; in equis esse voluerit.

Non defuerunt etiam, qui Vincentium improbandum ducerent, quòd interdum amicis conuiuia nimis lauta, nimisq; splendida præberet. Sed cur non sit potius laudandus, si, vt in amandis amicis modum non habebat, ita, quò maiorem illis honorem tribueret, vel excedendum quandoq; arbitraretur? Amicorum sanè conuictu tãtopere oblectabatur, vt illis accumbentibus vix perpauculum cibum caperet, ac se se eorum præsentia, tanquam esca conquisitissima, pasceret. Vnum semper effecit, vt nunquam mensam sine sacra aliqua lectione extrui vellet. quin & ipsemet plerumq; plura disserere solitus fuit; ex quibus doctrinæ, pietatisq; suæ vberrimi, & lectissimi fructus decerpebantur. Recordor cum Carolus Cardinalis Borromeus clarissimum illud sanctitatis, religionisq; lumen paucis diebus antequam Deo animam redderet, Taurinum venisset, eumq; Vincentius ad prandium inuitasset, inter nos consultatum fuisse, num frugaliter, vel lautius potius excipi deberet, tuncquè Vincentium dixisse: imò quò maior nobis, sanctiorq; hospes futurus est, eò etiam maiori apparatu, cultuq;

tuq; apud nos tractandus erit. Sic igitur mensam elegantius, & sumptuosius, quàm vllo antea tempore solitus fuerat, voluit apparari: cui accumbens Borromeus omnia, tanquàm bono, atq; amico animo apposita, boni consuluit. Neq; verò Vincentius se tantummodò erga amicos, hospitesq; magnificentissimè gessit, sed & ergà domesticos suos liberalissimus, munificentissimusq; semper fuit. quin nec vllus vnquam prudens, attentusuè pater familiàs magis liberorum commodis inseruiuit, quam Vincentius ipse familiaribus suis vsui esse cótendit. id in me præter cæteros cumulatissimè est assecutus. nam quò animi sui magnitudini responderet, me nobilissimo illo Pinaroliési Sacerdotio, quod sibi paulò ante à Sixto Quinto Summo Pontifice delatum erat, ac cui semper primarij, principesq; homines præfuerant, cohonestatum esse voluit. omnibus certè & viuens, & moriens charitatis, vereq; paterni amoris officium præstitit.

At excelsa, diuinaq; propemodum animi sui bona non tàm ex ijs, quæ in vita præclarissimè gessit, quàm ex ipsius vitæ fine vidmus elucere. nam, quò quis benè, & cum virtutis laude vixisse dicatur; vt is quoq; benè, & cum laude moriatur, necesse est. sed & tanti mors honesta fieri debet, vt vitæ anteactæ certissimum ornamentum existat. septuagesimum ætatis annum agebat Vincentius, cum in morbum morti-

mortiferum incidit. Tùm nullam sibi medicinam magis salutarem adhiberi posse existimauit, quàm si animam sacra cõfessione expiatam sacratissimo, cęlestiq; Eucharistiæ cibo recrearet. Quò autẽ diuinum illud ad supernam patriam tenendam viaticum debita cum reuerentia sumeret, licet iam acri vi morbi consumptus, ac ferè exanimatus esset, à medicis tamen persuaderi non potuit, quo minus è lectulo surgeret, vestibusq; solitis, quibus è Cardinalis gradu vtebatur, indutus in proximum familiare sacellum non semel, sed bis incederet: vbi ad altare genibus nixus, priusquàm è Sacerdotis manibus Sacramentum acciperet, Deum in precibus tanto animi ardore est veneratus, vt iam non in terris degere, sed inter cœlestes spiritus translatus videretur. Vrgentibus primò medicis, vt in cubiculo, in quo decumbebat, aut saltem in proximiore conclaui, in quo scabellum, puluinarq; stratum erat, Sacerdoti Eucharistiæ Sacramentum allaturo præstolaretur: An nescitis inquit subridens, nobis è mundo discessuris Deo esse quàm proximè accedendũ? quanta corporis debilitate conficiar, non ignoro: confido tamen, animum valentem, qui morbo tentari nõ potest, ad supremum hoc meum erga Deum munus exequendum subsidio futurum esse.

Vna illi rerum humanarum supererat cura, for-

tunarum ſcilicet, quibus honoris cauſa cohoneſtatus fuerat, diſtributio. Hac vt ſe expediret, teſtamentum cõdidit; quo hæredes ſcripſit Religioſos in Vrbe homines (vulgò infirmorum Miniſtri appellantur) qui voto ſolemni obſtricti ægrotis, vel peſtilentia laborantibus operam dant. vt enim illos pridem in fidem acceperat, primumq; eorum inſtitutum à Sixto Quinto, nec non à Gregorio xiiij. Summis Pontificibus procurauerat approbandum; ita eoſdem quoque quaſi alumnos proprios extremis tabulis voluit ſubleuare. Sed & quãti Patrum Sodalitatis Ieſu, quibus ſemper familiariſſimè fuerat vſus, pietatem, doctrinam, cœteraſq; virtutes fecerit, apertiſſimè declarauit. Eorum enim Romano Collegio, quod Gregorius xiij. Pontifex Max. erexerat, bibliothecam, non mediocri impẽſa congeſtam, legauit, addidit inſuper Deiparę Virginis collachrymantis ſignum, cuius cultu plurimũ oblectabatur, ab Alberto Durero celeberrimo illo Pictore olim adeò affabrè, tantoq; artificio pictum, vt & veras lachrymas profundere, & inſpicientium animos ad ipſam in cęlis Regnãtem Virginem traducere videretur: quod tamen poſtea Clemens viij. qui in præſenti Summo totius Chriſtianę Reipublicę commodo Chriſti vices in terris gerit, ſibi à Patribus concedi petijt. Reliquam verò ſuppellectilem, multam illam quidem

quidem, & magnificam, quanti ea foret, licere, pretiumq; inter domesticos è cuiuscumq; conditione, & statu, diuidendum mandauit. Quorundam amicorum, quos maximè charos habuerat, memoriam tenuit, annua singulis pensione ascripta. Quàm parui autem cognationem sanguinis faciendam duceret, satis superq; demonstrauit, cum sororis filię in vrbe Campaniensi pridem nuptæ, licet iam plures liberos procreasset, non alia tamen bona, quàm quæ sibi illic è Marci fratris hæreditate obuenerat, reliquerit. Euangelicum quippe illud, consanguineos videlicet eos in primis haberi debere, qui cœlestis parentis voluntati morem gererent, & antea vsurpare sæpius solitus fuerat, & ad extremum diligenter est persecutus. Deniq; corpus ad Diui Clemētis ædem, cui è Cardinalatus titulo præfuerat, absq; vlla pompa, verùm modico admodum funeris apparatu humari præcepit; dictato etiam Elogio, quod sepulchro incideretur, vel quod potius perpetuum modestiæ suæ simulachrum apud nos esset.

Hic iacet Vincentius Laureus tt. S. Clementis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Montisregalis nuncupatus.

Simul ac igitur Cardinalis se à cura, in qua pro

testamento faciendo versatus erat, liberauit, de ea tantum ratione, quæ ad piè mortem obeundam attinebat, meditari instituit. Amicis, quotquot admittebantur, inuisentibus, bonoq; animo ipsum esse iubētibus: neq; enim desperandū, quin diuina ope esset cōualiturus, Siuè viuimus, dixit, siuè morimur, Domini sumus. Claudius Aquauiua Sodalitatis Iesu Præpositus Generalis eius amātissimus, vt nullum veri in eum amoris officium prętermitteret, per vnum è patribus illi tempus adesse nuntiauit, quo extremæ vnctionis Sacramento, vt potè aduersus mortem, atq; humani generis hostem validissimo præsidio armari deberet. quod Vincentius adeò gratum, acceptumq; habuit, vt ingentes illi gratias ageret. Tùm, oblato Christi Saluatoris in cruce pendentis signo, statim assurrexit; infixoq; oculorum obtutu sanctè illud veneratus. Indè cuidam ex assistentibus asserenti, Christus crucifixus est pro mundo, & ego, inquit, mundo. Sacerdoti verò extremæ vnctionis Sacramentum deferenti, sacrosq; de more versus pronuntianti, & ipse alternis respondit, cumq; fortè Sacerdos illud Vatis proferret: In Domum Domini ibimus: Atqui lætantes, Cardinalis ait, lætantes ibimus. etenim sibi animus re vera gaudebat, gestiebatq; iam ad mortalitatis calcem decurrisse, vndè postea, tanquam è carceribus emissus, ad immensa illa immorta-

mortalitatis ſpatia, ſedesq; pergeret. Nos, qui morienti aſſedimus, & nouiſſimis ſermonibus eius interfuimus, quàm conſtanter, libenterq; mortẽ excepit, manifeſtò cõperire potuimus. Patres certè Sodalitatis Ieſu, qui deficientẽ ſacris Deum precibus fouerunt, vehementer admirati ſunt, eundem, quaſi imperium in mortem teneret, mortem ipſam non ſolum æquiſſimo animo ſubijſſe, verùm etiam quodammodò contempſiſſe.

Sic ergò Vincentius, qui natus erat anno ſalutis 1523. quinto Kalen. Aprilis, exceſsit decimo ſeptimo Kalen. Ianuarij 1592. magnumq; ſui deſiderium non apud amicos ſolum, atq; illos, qui ingentia eius promerita cognita habebant, ſed apud cœteros quoq;, & ignotos reliquit. Auſim propemodum affirmare, nullius Cardinalis obitum è noſtrorum temporum memoria populo magis luctuoſum fuiſſe. At quamuis alijs Vincẽtij mors triſtis fuerit, nulli tamen magis, quàm mihi dolenda, lachrymandaq; accidere potuit.

FINIS.

Quomodo maculas delere oporteat.

QVisquis legis, errata sic corrigito: reliquorũ, si quæ fortè supersunt, nullã hîc rationem habendam duximus, cùm possint vel à mediocriter erudito Lectore inter legendum facillimè castigari, nam exigua omninò sunt, atq; omnia in vniuersum ne tantillum quidem difficultatis in sententia parere possunt.

In epist. non longè à fine, tenui. leg. tenuis. pag. 3. Latriensiq; Satriensisq; . ead. Condobettæ. Condoblettæ. 10. astantes Principes, dele vocem astantes. 14. firmandum. formandum. 24. essecutura. assecutura. 29. Betori. Beton. 31. quàm annuente. quam vt annuente. 33. Rogli Domina. Bogli. 34. clarum. charum. 39. pertimescere? pertimesceret? 43. vniuersa. vniuersæ. 50. Lauscoronæ. Lanscoronæ. 56. & priuilegiorum. vt priuil. 57. Lauscoronæ, Lanscoronæ. 52. pererahi. pertrahi. 80. vidmus. vidimus.